

non modo censuras, sed etiam penas à Constitutionibus Apostolicis promulgatas contra violatores ecclesiasticæ immunitatis, &c. reservatio autem, de qua in dictis Extravagantibus pœna dici potest, tum ob difficultatem adeundi Summum Pontificem, ac veniæ impetrandæ; tum quia reservationis idem est finis, ac pœna, ut colligitur ex iisdemmet Extravagantibus. (Ne cuiusvis remissionis, vel facultatis obtentu Christi fideles procliviores ad illicita impoliter committenda reddantur, aut veniæ facilitate peccandi ei tribuat incrementum) Imo reservatio live Apostolica, live Episcopalis tamquam gravis subditis adici non debet, nisi atrocioribus quibusdam, & gravioribus criminibus, ut habetur in Concil. Trident. cap. 7. *sess. 14. de cas. reservat.* unde Suarez de *penit. dist. 30. sect. 4. n. 2. in fin.* appellat reservationem onus poenitentium, ut à peccatis arceantur. Ergo Constitutio Gregoriana hanc quoque penam reservationis imponit extrahentibus aliquem ab Ecclesiis.

32 Rursum non obstat quod Constitit. Gregoriana innovet censuras promulgatas contra violantes immunitatem ecclesiasticam; Constitutiones autem Pauli & Sixti referunt Sedi Apostolicæ offensam libertatis non autem immunitatis ecclesiasticæ. Nam et si Cajet. in *summ. de immunit. Eccl. vers. 6.* dixerit, ad discernendum censuras Canonum, & casus reservatos distinguendum esse inter ecclesiasticam immunitatem, & libertatem, & per immunitatem intelligendam loci sacri exemptionem, per libertatem verò exemptionem personæ ecclesiasticæ ita ut propterea reus violatæ immunitatis non incidat in penas violatæ libertatis.

In hoc tamen Cajetan reprobat à Couar. *lib. 2. par. 160. cap. 20. num. 1.* ubi ostendit etiam ad censuras discernendas unum, & idem esse immunitatem, ac libertatem ecclesiasticam, quod etiam docuit Cardin. in cap. *pendentius, num. 12. supra eod. Felin. in cap. Ecclesia Sancta Maria num. 99. vers. Et idem, de Constitut. Sylvest. in verb. Immunitas, n. 1. in fin. Alten. Angel. & alii Summistæ idem unde Goffred. *cod. tit. Immunitatem* dicitur esse libertatem, quæ competit ecclesiasticis personis, & rebus ad eas spectantibus; & secundum Archidiaconum in cap. *Cum devotissimam, num. 3. 12. qu. 2.* Immunitas, & libertas, vel securitas ipsius Ecclesiæ; & consentiunt ibi Bellam. *n. 5. & Gemin. n. 2.**

33 Deinde quod omnem tollit difficultatem, Gregorius innovat penas à sacris Canonibus promulgatas non solum contra violatores immunitatis, sed etiam libertatis ecclesiasticæ ibi (Declaramus eum ipso facto censuras, & penas ecclesiasticas incurrere, quæ contra libertatis, juris, & immunitatis ecclesiasticæ violatores per sacros Canones, & Conciliorum generalium, nostrorumque prædecessorū Constitutiones sunt promulgatæ) Quod cum ita sit hunc casum esse Papalem videtur probari hoc argumento.

Ex Constitutione Gregoriana extrahentes reos ab Ecclesiis inveniunt in censuras à Constitutionibus Apostolicis promulgatas contra violatores libertatis ecclesiasticæ: sed censura à Constitutionibus Apostolicis promulgata contra violatores libertatis ecclesiasticæ sunt Sedi Apostolicæ reservatæ in dictis Extravag. ergo ex Constitutione Gregoriana extrahentes reos ab Ecclesiis inveniunt in censuras Sedi Apostolicæ reservatas.

Ad hæc ecclesiasticam violatæ immunitatem,

ut ait Cajetan. in *summ. eodem tit. in prin.* est tamquam generale peccatum ad omnes sacrilegii species, violatur siquidem ecclesiastica libertas injuriam inferendo & personis, & locis, & rebus sacris. Et Gregorius in d. Constitutione innovavit penas omnes contra singulas sacrilegii species à sacris Canonibus institutas, ut indicant verba illa Constitutionis (Declaramus eum censuras & penas easdem incurrere, quæ contra libertatis, juris, & immunitatis ecclesiasticæ violatores, &c.) Verbum enim libertatis ad personas refertur, verbum juris ad bona, verbum immunitatis ad loca: sed violantes, seu offendentes personas, bona, & loca in certis casibus inveniunt in penas, & censuras Sedi Apostolicæ reservatas, ut de personis est expressum in c. *si quis studente, 17. q. 4. in c. non dubium, cap. Porto, & cap. E noscitur, supra eod.* & in hoc cap. cum multis concordant. De bonis patet in calibus cap. *Clericus, §. Nos igitur, de immunit. Eccl. lib. 6. &c. Quicunque, de sent. excomm. eod. lib. de locis juxta terminos cap. Conquesti, & cap. Tua ver, supra eod.* ergo & violantes immunitatem in terminis prædictæ Constitutionis.

34 Et hæc ratio tollit aliud fundamentum præaxis Archiepiscopalis, quod in Bulla Cœnæ excommunicatum solum statuentes contra libertatem Ecclesiæ; nam cum Gregorius generaliter innovaverit penas, & censuras à Constitutionibus Apostolicis statutas pro qualibet specie violationis libertatis, seu juris, live loci materialis Ecclesiæ, ut probatum est, non incongruè dici potest innovasse etiam censuras per Bullam Cœnæ statutas contra illam speciem violationis Ecclesiæ, quæ sit per viam statuti, vel consuetudinis. Atque ita enim, qui eos inconsulto Episcopo, extrahit ab Ecclesia incidere in excommunicationem Bullæ Cœnæ, sentit, licet id alius non probet, Anton. Faber. in suo *Cod. diffinit. forens. tit. de his, qui ad Eccl. confug. n. 12.*

Præterquam quod et si Bulla Cœnæ ad hunc casum non pertineret, satis est tamen ut per alios Canones, & Constitutiones censuræ imponatur propter offensam libertatis Ecclesiæ sint reservatæ Sedi Apostolicæ. Quinimò et si Gregorius suam Constitutionem non edidisset, adhuc tamen excommunicatio extrahentium reos ab Ecclesiis in casibus non exceptis esset reservata per dictas Extravagantes: quæ cum casum offensæ libertatis ecclesiasticæ recenseant tamquam reservatam, nec distinguunt speciem offensionis: certè non minus intelligi debent de offensione libertatis ecclesiasticæ, quæ fit extrahendo aliquem ab Ecclesia, quàm de alia offensionis specie, & qualitate: utroque enim modo dicitur offendi, ac violari Ecclesiæ libertas, ut patet in cap. *Rem, in cap. Frater, & in c. Diffinit, 17. q. 4.* & dictum est supra.

35 Neque his obstat Extravag. *inter cunctas*, quæ est prima in tit. de privil. inter communes, ubi Benedictus XI. ponit violationem immunitatis, & libertatis Ecclesiæ inter casus reservatos ex consuetudine.

Respondetur enim dict. Extravagant. fuisse postea revocatam à Clem. V. in Concil. Vien. ut patet in Clem. *Dadum, in prin. de sepulch. ut illic advertit glof. in verb. Altam, & in d. Extravag. Inter cunctas, in verb. Constitutionem, & Ang. in verb. Casus.*

36 Postremò in confirmationem hujus sententiæ affe-

afferunt duo Decreta Clementis VIII. ex voto Sacre Congregationis Episcoporum edita, quæ satis aperte dirimunt hanc controversiam: etenim in primo Decreto prohibetur quibuscumque confessoribus, ne quemquam absolvant à calibus quomodocumque Sedi Apostolicæ reservatis. In secundo declaratur, quinam sint hi casus; & inter alios comemoratur violatio immunitatis ecclesiasticæ in terminis Constitutionis Gregoriana XIV. Quare manifestum est hodie hunc casum esse reservatum Pontifici. Quod autem in secundo Decreto Clementis in prima parte agatur de casibus Papæ, non autem Episcopo reservatis, ex eo patet, quia de reservatis Episcopo specialiter agitur paulò inferius in ver. *Item omnes casus.*

Neque obstat notatur in praxi Archiepiscopali Montis Mariani in addit. quod Decretum Clementis præsertim potestatem Episcoporum, & non officium nisi confessoribus: nam respondetur dictum Decretum, quia parte prohibet absolutionem à reservatis, non comprehendere quidem Ordinarios locorum; sed ubi docet casum violatæ immunitatis esse reservatum Pontifici, necessariò insinuat illius absolutionem ad Ordinarios non pertinere. Hæc enim importat reservatio, ut cap. *Nuper, infra eod. cap. 2. de penit. & remiss. lib. 6. cap. ult. de offic. Vic. eod. lib. cap. Quod translationem, cum ibi not. supra de off. Leg. cum similib. Atque ita quavis de novo non prohibeat, indicat tamen hæc esse juris prohibitionem, quæ admittit Episcopis absolventi facultatem.*

Proposito supra scripto dubio in Sacra Congregatione Cardinalium Tridentini Concilii interpretum, videlicet: An absolutio à censuris ob violatam immunitatem ecclesiasticam juxta terminos Constitutionis Gregoriana XIV. quæ incipit. *Cum alius nonnulli, sit Sedi Apostolicæ reservata, necne?* Sacra Congregatio censuit esse Sedi Apostolicæ reservatam.

- per signa exteriora.
- 13 Penitentia signa quæ sunt.
- 14 Absolutionis formula pro excommunicato, qui in excommunicatione decessit.
- 15 Mortuus potest creari miles.
- 16 Mortuus an possit fieri Doctor.
- 17 Mortuus potest iniuria inferri, & num. seq. sed tamen sed non verè, n. 21.
- 18 Legatarius carnaliter cognoscens uxorem testatoris post eius mortem, indignus est legato.
- 19 Mortuum spolians dicitur eum offendere.
- 20 Mortuos exterrantes, membratim coincidentes, aut aquas coquentes, excommunicati sunt.
- 21 Exanimatum corpus vulnerans non panitur tamquam de vulnere.
- 22 Irregularis an sit Clericus, qui volens occidere hominem, eidem mortuo caput amputavit, & num. seq.
- 23 Irregularis non est datus casum abortivi fetus inanimati.
- 24 Irregularitas non contrahitur nisi in casibus in iure expressis.
- 25 Mortuum Clericum percussens an sit excommunicatus, & num. seqq.
- 26 Mortuus potest tradi ecclesiasticæ sequitur tempore interdicti, si vivens habebat privilegium de ingrediendo in Ecclesiam.
- 27 Privilegium Canonis an datum fuerit in favorem Ordinis Clericali, & n. 29.
- 28 Mortuus non potest tradi sepultura in civitate, in qua vivens morari non poterat.
- 31 Heredes eius, qui post mortem debet absolvi, compelluntur ab Ecclesia satisfasere iniuriam passæ, quamvis sint laici.
- 32 Heredes an teneantur satisfasere pro excommunicato absolvendo, licet ad eos nihil pervenerit ex bonis defuncti, & n. seqq.
- 33 Quid si de sanctis dederit signa contritionis.
- 34 Et quid si non dederit huiusmodi signa.
- 35 Volunt defuncti teneat heres admittere.

De Sententia excommunicationis.

Cap. Anobis il secundo.

S U M M A R I U M.

- 1 Excommunicatus, in quo apparuerunt in morte contritionis evidentiæ signa, post mortem absolviatur ab eo, à quo vivens fuerat absolventus, & num. 1. & 30.
- 2 Et heredes ab Ecclesia pro satisfasere compelluntur, & num. 3. & n. 31.
- 3 Excommunicato defuncto non est communicandum ante absolutionem, nec pro ipso orandum; licet sit quoad Deum absolvi.
- 4 Veritas & opinio in quo differant, & n. seqq.
- 5 Vero omnia consonant.
- 6 Veritas est solidissima res, & murus inexpugnabilis.
- 7 Opinio potest se habere ad verum, & ad falsum.
- 8 Ecclesia quandoque errat ligando non ligandum.
- 9 Et quid in Ecclesia universali.
- 10 Contritus est absolutus: quo ad Deum etiam ante absolutionem sacramentalem.
- 11 In contritione tamen sacramentalium includitur.
- 12 Penitentia, & ea quæ consistunt in animo, probantur

1 A NOBIS, il secundo. Excommunicatus, in quo apparuerunt in morte contritionis evidentiæ signa, post mortem absolviatur ab eo, à quo vivens fuerat absolventus. Ad satisfasctionem verò ad quam tenebatur compelluntur heredes. Hoc dicit Ioan. Andr. Butr. Cardin. & Ancharan. vel plenius secundum Abbatem, Felin. & Marian. Socin excommunicato decedenti in excommunicatione quantumcumque contritus decesserit, non est communicandum ante absolutionem, nec pro eo orandum, licet sit quoad Deum absolutus: sed si constet Ecclesiæ de contritione præcedenti, absolvetur etiã post mortem ab eo, à quo vivens fuerat absolventus, & heredes ejus compelluntur per Ecclesiam ad satisfasctionem pro eo. Hoc dicit Dividitur ad satisfasctionem pro eo. Hoc dicit Dividitur in duas partes principales; & secunda sub dividitur in septem, ut per Io. Andr.

Nota primò ibi, veritati, quæ non fallit &c. diffèrentiam esse inter veritatem, & opinionem; tamen veritas nec fallere, nec falli potest, quia, ut dixit Philosophus in 1. Ethicor. vero omnia consonant & veritas est perpetua existentis rei tantà soliditas, ut cæteris defluentibus, ipsa in suo esse maneat inconcussa, secundum Io. Andr. in c. *Dan namus, n. 11. de Summ. Trinit. & fil. Cathol. &c.* Et solidissima res, & murus inexpugnabilis, ut legitur

igitur *Esdras* 3. cap. 4. & notat Bald. in cap. *sicut* n. 11. *verf. Quia veritas de probatione*. cum similib. ut per Afflict. *de iur. 253. num. 7.* Opinio verò potest se habere ad fallum, & ad verum : & à Philoſophis diffinitur esse aſſenſus pro una parte cum formidine alterius, uedixi in cap. *Ne imitarii, num. 4. supra de Conſtitutione*. & ideo falli, & fallere potest, ut hic.

8. Secundo nota ibi, *iudicium autem Ecclesie*, quandoque Ecclesiam errare ligando non ligandum, vel abſolvendo non abſolvendum : & rationem habes in textu, quia illius iudicium nonnumquam innititur opinioni, secundum quam iudicat de iis, quæ prorsus manifesta non sunt : merito falli, ac fallere potest ; & sic errare, cum errare aliud non sit, quam unum pro alio putare, cap. *In quibus*, 22. *quest. 2. cap. Quomodo*, 28. *distin. quod tamen intelligit Hostien. hic num. 3. de ecclesia particulari*, non autem de generali simul congregata quia illa numquam errare potest, cap. *A recte*, 24. *q. 1. secundum eum*, sed Abb. *hic nu. 2.* dicit hoc verum esse in his, quæ pertinent ad fidem articulos fidei. In reliquis verò secundum eum Ecclesia universalis potest errare, cum deatur opinione, quam fallere sæpe contingit, & falli, ut hic dicitur, quemadmodum & generale Concilium universalem Ecclesiam representans errare potest, excommunicando forte Prælatum, qui non erat excommunicandus : & hoc magis placet etiam Marian. Socin. *hic n. 10.* Sed de hac materia tu vide omnino quod scripsi in cap. *Maiores*, 2. *num. 3. usque ad n. 37. supra de Baptismo*. ubi latissime examinavi, & quando iudicium Ecclesie, & Concilii sit infallibile.

10. Tertio nota ibi, *quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur*, argum. quod eo ipso quod quis est de peccato contritus, est absolutus quoad Deum etiam ante abſolutionem sacramentalem ; & sic contritio peccatorum remittit, dummodo sit in actu, vel fide, seu spe suscipiendæ abſolutionis, Marian. Socin. *hic n. 13.* Hodie hoc diffinitum est à Tridentina Synodo *sess. 14. in doctrina de Sacramen. Pœnit. 22. de contrit. ibi* : (Docet præterea esse contritionem hanc aliquando charitatem perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliatio nem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur non esse adscribendam.)

12. Quarto nota ibi, *per evidentia signa consistenti* : Penitentiam, & ea, quæ consistunt in animo, probari per signa exteriora. Sunt autem penitentia signa verbalis detestatio delicti, petitio abſolutionis, oblatio Sacramenti de parendo mandatis Ecclesie, elevatio oculorum, & manuum ad cælum, percussio oris, & peñtoris, quia forte loqui non potest, & his similia, cap. *Qui recedunt*, cap. *Præcedent*, & *tribus* *segg. 28. quest. 6.* Hostien. *hic n. 1.* Ioan. Andr. *num. 2.* & alii communiter : & adde quod scripsi in cap. *Ad abolendam*, 2. *num. 15. supra de hæretic.*

14. Quinto nota ibi, *Defuncto etiam abſolutionis beneficii impendatur* : non tantum vivum, sed etiam mortuum qui ante obitum dede evidentia signa penitentia, abſolvi posse ab excommunicatione : & ita fuisse prædicatum in persona in clerti Capitanei Domini de Forte Brachio, refert hic Marian. Socin. *in 8. notab.* & ego sæpius vidi ob-

servatum in Sac. Penitentiaria. Formalia autem pro abſolutione illius, qui in excommunicatione decessit, est huiusmodi videlicet, (Quare si hic vobis visum fuerit, vobisque de prædictis N viventis penitentia per evidentia signa consistenti, utendum sic defunctum, dummodo illius hæredes injuriam passis, quibus ille, si viveret, occasione præmissorum satisficere teneretur, prius competentem satisficant, vel per eos non sit, quominus arbitrio vestro satisficant competenter in eo, qui tenentur, ab excommunicationis sententia, quam propter præmissa incurrit, abſolvere in forma Ecclesie consueta, & in foro conscientia tantum licite valeatis ad effectu duntaxat, ut pro illius anima publicæ, & privatæ orationes, ac preces fieri, eisque corpus ecclesiastice tradit sepulturæ possint, facultatem, & auctoritatē vobis concedimus. Dat. &c.)

15. Ex prædictis inferatur, ut post mortem possit quis nobilitari, & creari miles, ut hic firmat Abb. *n. 7.* dicens hoc voluisse Bartol. in l. *1. c. de dignitat. lib. 12.* licet Bart. *ibi n. 27.* non loquatur de mortuo, sed tantum dicat posse quem effici militem in puncto mortis ; tamen cum Abbate consentit Felin. *hic n. 2.*

16. Et per prædicta in publicis conclusionibus, quas triduo defendi Peruhæ in Aula Palatii, dum essem Scholasticus, disputandum fultini mortuum posse Doctoratus laurea insigniri, ut in meo libello Typis excuso, qui inscribitur, Problemata cum methodo juris universi in 132. *Problemate*. Oppositum tamen tenet Abbas *hic numero 8.* dicens se aliàs in facto fuisse de hoc interrogatum, & respondi se post mortem non posse quem doctorari, quia hæc dignitas conferatur ad docendum alios, 1. *Magistros*, c. *de professor. & medicis*, *lib. 12.* quod non potest mortuus ; & eum sequitur Felin. *d. num. 2.*

17. Et tenendo hanc opinionem non obstat quod mortuus videatur posse honoribus, & insigniis decorari, quia etiam potest injuria affici, ut notat Bart. in l. *1. num. 3. ff. de his quibus ut. in leg. in l. Sorore*, in *fin. C. eod.* videlicet quod ille, qui concubuit cum uxore testatoris post ejus mortem indignus est legato, & sic applicatur hieco ; quia si vivo defuncto hoc fecisset, ipsum ad iracundiã provocasset : ergo idem post mortem. Vnde & qui mortuum spoliare dicitur eum offendere, ut l. *Qui sepulchra*, c. *de sepulch. violat.* Facit ad hoc Extravag. Bonif. VIII. *De sepulch. ubi excommunicatur* exterrantes mortuos, aut eos in frusta concidentes, aut aquis coquentes. Cujus Canonis materia, ut inquit Cardin. Cajet. in *Summ. in verb. Excommunicatio*, cap. 70. est crudelitas, & immanitas in cadavera humana. Id, inquam, non obstat, quia dictum Bartol. procedit fidei, sed non verè, ut declarat Bald. in dict. l. *Sororem* *num. 2. & 3. Cod. de his quib. ut. indignus* : unde secundum eum qui exanimatum corpus vulnerat, non punitur tanquam de vulnere, quia corpus mortuum injuriam non sentit, ut l. *1. C. Qui accusari non poss.* sequitur Felin. *ubi supra.*

22. Et per hoc inferatur ad aliam quaestionem qua sic format Archid. in cap. *Si quis*, *il secundo, num. 2. q. 1.* videlicet. Pone quod Clericus animo deliberto iter arripuit ad interficiendum hominẽ, sed non potuit, quia eum invenit mortuũ, nihilominus iure sua satisficere volens, eidem mortuo caput

caput amputavit : queritur an sic irregularis.

Quidam dicunt hunc Clericum irregularem propter intentionem cum opere subsequuto, arg. cap. *Naper*, & cap. *ult. supra de Bigam.* pro quibus facit quod notatur in cap. *Si quis*, 51. *distin. & in cap. fin. 23. quest. ult.* & melius in cap. *Perniciosus*, in *fin. de pœnitent. dist. 1.* Contrarium determinat ibi Archidiae, quia hic non erat homo, sed mortuus : nam cadaver non est homo, ut patet in cap. *In quadam*, *de celebrat. Miss.* ubi dicitur ad esse hominis duo esse principaliter necessaria, scilicet corpus, & animam *Item cap. Charitas*, *vers. Item corpus*, *de pœnit. dist. 2.* & lex promotionis factum requirit, ut in d. cap. *Si quis*, *idest*, ut homo jam animatus actu interficiatur, ut patet expressè in c. *Sicut*, *il secundo, de homic. id.* & in cap. *Quod verò*, 32. *quest. 2.* In quibus iuribus patet dantem causam abortioni non esse homicidam, neque irregularem, si conceptus nondum erat vivificatus anima rationali. Item irregularitas non contrahitur nisi in casibus in iure expressis, ut in cap. *Is*, *qui*, *de sent. excom. lib. 6.* Nec illo casu invenitur implicita, secundum Archidiae, qui dicit idem notasse Alanum, Vincent, & Bernard. in cap. *Si aliquis*, *de homicid.*

27. Et per hanc potest decidii alia quaestio, numquid percutiens Clericum mortuum incidat in excommunicationem Canonis, *Si quis suadente*, 17. *quest. 4.*

28. Et quidem Felin. *hic num. 4.* putat hunc esse excommunicatum. Movetur primò per text. in similib. in cap. *Quod in te*, *de pœnit. & remiss.* ubi privilegium datum Clericis de ingrediendo ecclesiam tempore interdicti habet locum, ut mortuus ibi tradatur ecclesiastice sepulturæ. Deinde movetur quia privilegium Canonis non est datum ratione Ordinis, cum sit datum etiam conversis, laicis, & novitiis, cap. *Non dubium*, *supra eodem cap. Religioso*, *cod. tit. lib. 6.* qui tamen non habent Ordines. Pro hac parte facit text. in l. *Si quis in insulam*, *ff. de cadaveris. panitor*, ubi Bartol. (Nota inquit hanc litteram, quia non reperies alibi, & habes quod ille, qui in vita non potest morari in civitate, post mortem non potest duci ad civitatem ad sepulturam) & eum sequitur Card. in Clem. *1. in fin. de pœnit. & remiss.*

29. Contrarium puto verum, quia negari non potest, quia privilegium Canonis datum sic in favorem Ordinis Clericalis : nam quicquid dicat Felin. de hoc est text. rotundus in cap. *Contingit*, *il primo*, *infra eodem ibi* (Cum ille canon non tam in favorem clerici ordinati, quam in favorem ordinis clericalis fuerit promulgatus) & in cap. *Unio*, *de Cleric. coniugat. lib. 6.* ibi ; (Privilegium retineat Canonis ab Innocentio Papa II. editi in favorem totius Ordinis Clericalis.) Mortuus autem non habet Ordines cap. *Licet*, 32. *q. 2.* Nec refert quod privilegium hoc datum sit etiam conversis, & novitiis non ordinatis : quoniam datur eis dum vivunt, non autem post mortem : & Canon. *Si quis suadente*, loquitur de Clericis. Mortuus autem non est Clericus, quia characterem non habet, cum characterem non imprimatur corpori, sed animæ. utin Concilio Tridentino *sess. 7. de Sacram. can. 7.* Item prædictus Canon. excommunicat injicientem manus violentas in Clericũ : at mortuo non potest inferri violentia, ut ex Bald. dictum est supra n. 27. Item sicut præcedens caput

mortui non incidit in irregularitatem, ut dictum est in præcedenti quaestione, ita nec percutiens Clericum mortuum incidit in excommunicationem, quia licet irregularitas non contrahitur nisi in casibus in iure expressis, ut dictum est supra n. 24. ita nec pœna excommunicationis, glol. 1. in Clem. 1. *de consanguinit. & affinit.* Facit glol. penult. in cap. *fin. super de iur. sepulch.*

30. Sexto nota ibi, *A quibus dum viverent fuerant abſolvendi*. In casibus Sedi apostolicæ reservatis decedenti in excommunicatione impendendam esse abſolutionem à Summo Pontifice dumtaxat : In aliis verò non reservatis posse impendi etiam ab inferiore, qui poterat viventem abſolvere, ut in littera : & hoc non ex indulgentia hujus Decretalis, sed de jure communi, ut hic in glol. in verb. *Ceteris.*

31. Ultimo nota ex fine textus causam notabilem in quo Ecclesia exerceat jurisdictionem in laicos, compellendo scilicet hæredes ejus, qui post mortem debet abſolvi, ut pro eo satisficant injuriam passio, licet ipse dum viveret expressè hoc non mandaverit : nam ex quo dedit signa exteriora contritionis, satis videtur debitam satisficitionem tacite injunxisse, ut hic in glol. *fin.* unde cum iste actus respiciat favorem animæ defuncti, & hæredis, & piam causam, merito Ecclesia vendicat sibi jurisdictionem secundum Abb. *hic n. 5.* & Marian. Socin. *num. 24.* Concordat text. in cap. *ult. supra de sepulch.* & in cap. *In litem*, *de iur. sepulch.* ibi ; (Hæredes eius moneas, & compellas, ut his, quibus ille per incidendum, vel alio modo damna contra iustitiam irrogaverat, iuxta facultates suas condigne satisficant, ut sic à peccato valeat liberari.) alias legitur, valeant, idest hæredes secundum Vincen. & Io. Andr. *ibi in fin.*

32. Sed hic insurgit quaestio an hæredes excommunicati teneantur pro eo satisficere injuriam passio, etiam si ad eos nihil pervenerit ex bonis defuncti.

33. Pro solutione breviter sic distinguitur ; aut excommunicatus præbit ante obitum signa penitentia, seu contritionis, aut non præbit. Primò casu hæredes tenentur etiam si nihil ad eos pervenerit : & in hoc casu intelligi debet hoc cap. & glol. *fin.* in cap. *ult. de sepulch.* dum ex eo text. colligit de jure canonico hæredes teneri ad satisficitionem pro delicto defuncti etiam si ad eos nihil pervenerit, & sic cum defuncto non fuerit contentata : nam ex quo decessit contritus, & sic voluit istud consequens scilicet abſolutionem, merito videtur voluisse antecedens necessarium ad ipsum consequens, quod est satisficatio, argum. c. *Cum super*, *supra de off. Delegat.* quod perpetuo singulariter notabis ad limitationem eorum, quæ semper dicuntur, quod regulariter hæres non tenetur ex delicto defuncti, nisi quatenus ad eum pervenit, quia istud procedit sine cõtritione mortuus est, ut mox dicetur, aliàs secus. Quod est singulari nota dignum, & quotidie potest contingere, & multi falluntur, ut dicit Marian. Socin. *hic n. 29.* Secundo autem casu cum scilicet defunctus signa contritionis non dedit, dicendi est hæredes non teneri, nisi quatenus ad eos pervenit ex bonis illius, & ita intelligi debet text. in d. cap. *ult. de sepulch.* ibi ; (Sed ejus hæredes, & propinqui, ad quos bona pervenerunt ipsius, ut pro eodẽ satisficant, censura sunt ecclesiastica compellendi.)

Et

Et sic cogendi sunt tantummodo restituere rem illicite acquisitam; quia res tranfivit cum onere suo, ut cap. Ex litteris, supra de contrahen. empt. c. Sapē, de restitut. spoliat. nam & votum defuncti tenetur hæres adimplere, ut legitur, & notatur in cap. Licet; §. 1. & 2. supra de voto; ita formaliter distinguit Hostiens. hic num. 21. & 22. cujus distinctionem postea probat Ioan. Andr. num. 18. Butr. num. 30. Cardin. num. 5. Anchar. num. 2. Abb. n. 5. Felin. circa a. fiam, vers. Nota singulariter hanc glof. & Marian. Socin. n. 25.

De Sententia excommunicationis.

Cap. Nuper.

S V M M A R I V M.

- 1 **E**xcommunicatus est qui Clericum detinet in custodia publica, vel privata, aut in vinculo etiam sine corporali lesione, & n. 4.
- 2 Declaratur procedere si hoc faciat animo inferendi injuriam, seu violentiam Clerico. Secus si aliam ob causam, n. 12.
- 3 Communicans excommunicato scienter in crimine excommunicatus est, & non potest absolvi nisi ab excommunicatore, vel ipsius superiore, & cum iuramento, & n. 14.
- 4 Communicans excommunicatum extra crimen incurrit minorem excommunicationem, & reconciliari potest sine iuramento per simplicem sacerdotem, & n. 14.
- 5 Et quid post Constitutionem Concilii Constantiensis, n. 15. vers. Caterum adverte.
- 6 In carcere, vel in vinculis detinere an differant.
- 7 Carceratus, vel detentus in vinculis non dicitur ladi corporaliter.
- 8 Carcer, & vincula principaliter non sunt ad penam, sed ad custodiam.
- 9 Violentia in Clericum perpetratur etiam citra iniuriam manuum, seu corporalem lesionem, quod pluribus exemplis ostenditur.
- 10 Excommunicatus est qui rem de manu Clerici rapit, vel que illius corpori adherent, aut eum per vestem tenet, aut per frangam equi.
- 11 Equum occidens, cui Clericus insidet, non incidit in Canonem, ibi dem.
- 12 Castrum obsidens non animo detinendi in custodia Clericum ibi existentem, sed capiendi castrum, vel faciendi Clerico retentiviam, non est excommunicatus.
- 13 Clericum cogens per metum ad se redimendum, vel exendum e domo ut ipsam occupet, excommunicationem non incurrit.
- 14 Communicans criminoso in crimine prestando illi consilium, auxilium, vel favorem, tenetur eadem pena cum principali.
- 15 Communicare excommunicato qui dicitur non solum comedendo, loquendo, vel deosculando, sed etiam cum ipso orando.
- 16 Communicans scienter excommunicato extra crimen an peccet mortaliter, remittitur.
- 17 Absolvere potest inferius ab omni excommunicatione lata a Canone, quoties Conditor Canonis sui non reservavit absolutionem, & n. 20.
- 18 Quod habet locum nedium in Canone Papa, sed etiam

- 19 in statuto Episcopi, vel Pralati, ibidem.
- 20 Ingrediens septa monasterii Monialium absque licentia Ordinarii, vel alterius superioris an incurrat excommunicationem Papa reservatam ex Bulla Gregorij XIII. & num. seq. usque ad num. 37.
- 21 Causa etiam iniusta excusat quem a contumacia.
- 22 Culpa ubi est maior, ibi debet esse maior vindicta.
- 23 Dissolutio parali inungens penam excommunicationis non restringitur, sed extenditur.
- 24 Contrarium, n. 30.
- 25 Promittit verba denotant causam finalem Constitutionis.
- 26 Lex non imprimit effectum suum, nisi in illas personas, quibus verba lego congruunt.
- 27 Ingrediens septa monasterii Monialium preterito licentia revocata, aut Ordinarij licentia abutenes, magis delinquit, quam ingredienti sine licentia, & n. seq.
- 28 Frequentia delicti est iusta causa reservationis absolutio-nis.
- 29 Episcopi non debent promittit sibi reservare casus, quibus a iure annexa est excommunicatio, nisi forte propter frequentiam, scandalum, vel aliam necessariam causam.
- 30 Statuens contra libertatem Ecclesie magis punitur, quam statuens contra ius Ecclesie. licet minus delinquat, & cur e. ibidem vers. Hinc etli statuens.
- 31 Ecclesiarum fructus, & bona surripientes non incidunt in excommunicationem, nisi id faciant auctoritate usurpata, & sub ratione bonorum Ecclesie.
- 32 Domini temporales, & magistratus quicumque impediunt libertatem matrimonij, incidunt in excommunicationem cap. 9. fell. 24. de reformat. matrim. Concilij Tridentini, non autem privata persona.
- 33 Casus omisus in lego nova remanet in dispositione iuris antiqui.
- 34 Monasterium Monialium ingredienti sine licentia ex Concilio Tridentino incidunt in excommunicationem, non tamen Sedi Apostolica reservatam.
- 35 Pena nulla est maior in Ecclesia, quam excommunicatio; ideoque in una non debet fieri extensio, sed potius restrictio.
- 36 Clericum pedibus percussens, vel perfundens aqua, aut in eum spuens, vel eius vestem frangens excommunicatus est.
- 37 Reservatio casus non inducitur ex eo quod Summus Pontifex absolutionem ab illo casu imperitum fuerit, & n. seq.
- 38 Penitentes habent tres iudices, qui nomine proprii sacerdotu comprehenduntur, Papam, Episcopum, & Parochum.
- 39 Papa si aliquid faciat de plenitudine potestatis, non praeiudicat inferioribus, nec contra eos prescribit.
- 40 Mulieres absque licentia monasteria virorum ingredienti, ex declaratione Pij V. incidunt in excommunicationem Papa reservatam.
- 41 Excommunicatio propter ingressum in monasteria Monialium ad malum finem, est Sedi Apostolica reservata.
- 42 Absolutio a censuris, in quas incidunt Pralati ingredienti monasteria Monialium contra formam Constitutionis Gregorij XIII. an sit Papa reservata.

- 38 Statuimus, & decernimus sunt verba novi iuris inda-tiva.
- 39 Pralati ingredienti monasteria Monialium in casibus non necessariis, vel cum magno comitatu quas penas incurrant.

NUPER. Detinens Clericum in custodia, vel vinculis, etiam sine lesione corporali excommunicatus est: & communicans excommunicato scienter in crimine est excommunicandus. Nisi difficultas impediatur, absolvi debet ab excommunicatore, vel ipsius superiore, & cum iuramento. Communicans extra crimen reconciliari potest per simplicem sacerdotem sine iuramento. Hoc dicitur Dividitur in duas partes. In prima ponitur bimestris consilio. In secunda bimestris responsio ibi, non dicitur: & utraque subdividitur, ut per se patet.

Nota primò quoad incurrendam excommunicationem Can. si quis iudicem, paria esse Clericū percute, aut eum in custodia publica, vel privata, aut in vinculis detinere etiam sine lesione corporali, ut hic est casus secundum omnes: quod tamen declara, ut dicam infra n. 12.

Secundò nota ibi, vel etiam detinuit in vinculis: aliud esse in carcere, & aliud in vinculis detinere, ut ibi per Butr. num. 7. quod nota pro flatu fecundum Marian. Socin. n. 5.

Tertiò nota ibi, corporalis lesio non facit subsequita: ex sola detensione in carcerem, vel in vincula non dicitur quem corporaliter ladi, secundum Ioan. Andr. hic nu. 1. in ver. Lesione. & Butr. eodem n. & ver. & in a. notab. Abb. nu. 3. & Marian. Soc. n. 6. Ratio est, quia considerari debet quod principaliter agitur, cap. Cum voluntate, infra eod. m. carcer autem, & vincula principaliter non sunt ad penam, sed ad custodiam, ut l. ad damnas, §. Solum, ff. de pen. quod similiter nota pro statutis, ut hic per Anchar. n. 5. nam quoad effectum incurrendi excommunicationem lata sententia ob violentiam manuum injectionem in Clericum, hæc non differunt, ut dixi supra in n. notab.

Quartò nota ibi, extra quam violentiam solum circa Clericos nequiter perpetratur, violentiam Clerico inferri posse etiam sine manus injectione, seu corporali lesione. Ratio est quia debemus in his magis attendere injuriam, & violentiam, quæ sapiunt causam finalem, quam manus, quæ sapiunt demonstrationem, ut hic per Cardin. nu. 3. & plenius dicam infra n. 30. in fin. exemplum ponit Innoc. n. 1. & 2. velut si quis ensem vibret, vel aliter necem comminetur, nisi carcerem ingrediatur. Vel si Clerico in domo propria, vel aliena existenti clausis foribus, vel positus custodibus adimatur libertas ex eundem, neque enim, ut innocens, ait videat vis esse an clausis sit carcere, an ligatus sinibus, an custodibus vallatus: omnes enim isti in custodia sunt & in personam violentiam patiuntur, quia detinentur ne quo velint, abire possint: nec multum differat specie servitutis, cui libertas recedendi non datur. l. 3. de liber. hom. exhiben. Eodem modo violentia est si res de manu Clerici rapiatur, vel quæ alias ipsius corpori adherens, aut si Clericus detineatur per vestem, qua induitur, vel per frenum equi, cui insidet, licet secus esset si equus interficeretur: ita Innoc. cum

quo transeunt hi. Host. & Abb. Antiq. ambo n. 1. Ioan. Andr. num. 2. in ver. Detinentur, Card. nu. 4. Anchar. n. 2. & 3. & reliqui omnes.

Hæc tamen notabiliter liquant Doctores, ut procedant dummodo fuerint animo inferendi injuriam, seu violentiam Clerico, secus si aliam ob causam. Unde si quis Clericum in caltro obfideret non animo detinendi eum in custodia, sed capiendi castrum, vel faciendi Clerico verecundiam utique in Canonem non incidere, secundum Innoc. n. 1. post se agendo & Card. n. 4. vers. Hoc procedit. Et idem esse si quis citra manuum injectionem, vel detentionem corporalem per metum cogeret Clericum ad se redimendum vel exendum e domo sua, quam postea occuparet: non enim esset excommunicatus, quia hæc perpetravit potius animo lucrandi, quam inferendi injuriam, nec in personam manus injectio, vel quasi injectio violentas, ut dicitur Host. hic n. 1. vers. Quod enim si quis, Ioan. Andr. n. 2. vers. Dicimus ergo, & Card. nu. 4. vers. Per hoc etiam inferitur, ubi tandem concludit excommunicationem incurri quando eumque sit violentia Clerico, per quam scilicet impeditur ei libertas præcisè, non causatè, & quando sit hoc animo ut impediatur, alias secus.

Quintò nota ibi, et consilium impediendo Communicantem criminoso in crimine, id est præstante do illi consilium, auxilium, vel favorem, tenetur eadem pena cum principali. Rationem habes in littera, quia facientem, & consentientem par po-nâ contrahit, de quo in l. si quis opem ff. de furt. & in c. 1. supra de offi. deleg. & latissime per Marian. Socin. in cap. Ad audentiam, supra de homicid. in 7. prim. ip. ali. artic. a. quest. quinquagesima usque ad centesimam.

Sextò nota ibi, aut alias in oratione, intelligi, quem participare cum excommunicato non solum comedendo, loquendo, aut deosculando: sed etiam secum orando, concordat cap. Cum excommunicato, & cap. Qui communicaverit, n. quest. 3. cap. Significavit supra eod. & notat glof. in cap. Statuimus, in ver. Constitutione tua, infra eod. lib. 6. de quo plenè per eundem Marian. Socin. in cap. Sicut, in 19. princ. ali. artic. infra eod.

Septimò nota in vers. Secundo vero casu, & signa differentiam inter communicantem in crimine, & communicantem extra crimen: ille enim incidit in excommunicationem majorem, & absolvi non potest nisi ab excommunicatore. vel eius superiore, & cum iuramento de parendo illius mandato: hic verò ligatur minori tantum excommunicatione, absolvi potest a simplici sacerdote sine iuratoria cautione, ut fin. textus. An autem scienter communicans excommunicato extra crimen peccet mortaliter, examinat Archidiaconus, in cap. Rogo, n. quest. 3. & Ioan. Andr. in cap. Sicut, n. 20. supra de his que videntur. Caterum adverte ne decipiaris, quia hodie ex Constitutione Martini V. in Concilio Constantiensis edita, quæ incipit, ad evitandum, permissum est communicare cum excommunicatis a Canone, vel ab homine, etiam in administratione, & receptione sacramentorum, vel aliis divinis, præterquam in duobus casibus, videlicet si excommunicati sint publicè denunciati, aut notorii Clericorum percussores, qui dicuntur excommunicati non tolerati. Et in his duobus casibus dumtaxat, non autem in excommunicatis toleratis locum habet,

quod hic dicitur de incurfu excommunicationis majoris propter participationem cum excommunicatis in oratione, & de incurfu excommunicationis minoris propter participationem cum excommunicatis extracrimen; quod bene notabis ad limitationem hujus textus. De intellectu autem illius Constitutionis scripti latissime in cap. *Quod ad Paleocoffore*, à nam. 39. *supra de Schismat.* ubi etiam *num. 56.* dixi an eidem Constitutioni fuerit derogatum quoad notorie excommunicatos per aliam Constitutionem Concilii Lateranen. Novissimi sub Leone X.

16 Ultimo nota tibi, quia tamen conditor Canonis: textum optimum, & notabilem ut hic ait Felin. n. 1. in ult. notab. quod ab omni excommunicatione lata à Canone potest inferior absolvere quotiescunque conditor Canonis absolutionem sibi non reservavit: & ad hoc quotidie allegatur hic textus, & locum habet nedum in Canone Papæ, sed etiam in Canone, seu statuto cujuslibet Episcopi vel Prælati ecclesiastici, ut excommunicatus per illius statutum absolvi possit à proprio Sacerdote. ex quo conditor Canonis sibi non reservavit absolutionem: & hoc nota, quia quotidie occurrit in practica secundum Abb. hic *num. 5.* Locum tamen habet in absolutione prout loquitur, non autem in dispensatione, ut scripti plene assignando rationem differentie in cap. *Dilectus*, à nu. 10. usque ad 16. *supra de tempor. ordin.*

17 Ex prædicta regula infero ad questionem an ingrediens septa monasterii Monialium absque licentia Ordinarium, vel alterius Superioris incurrat excommunicationem Sedi Apostolicæ reservatam ex Constitutione Gregorii XIII. edita *idibus Junii 1575.* quæ incipit, *Pro gratia.*

Ex his, qui post Gregorianam Constitutionem scripserunt, nonnulli opinati sunt non esse constituendam differentiam an quis prætextu licentiarum, an vero sine illis clausuram monasterii Monialium ingrediatur, sed utroque casu absolutionem esse summo Pontifici reservatam ob idicitatem, seu potius majoritatem rationis ne deterior sit conditionis qui temere, ac proprio ausu ingreditur, quam qui aliqua causa, licet injusta se excusat, arg. cap. *Illud*, vers. *Licet autem*, de *Cler. excomm. ministr.* Hoc enim est quod dicitur glossæ ordinariæ, in l. *Ex consensu*, §. *in fin. ff. de appellat.* & l. 1. §. *Si quis iudic. non obtemper.* non solum justam causam, & rationabilem quem à contumacia excusare, sed etiam injustam, & quod legitur in l. 1. in fin. ff. de *abigeis*, & in l. *Plagii*, ff. ad leg. *Flau. de Plagiar.* in quibus est expressum non solum legitimam, sed & illegitimam causam excusare à dolo: quam regulam dixit communem Dec. *conf. 170.* *Viso themate*, col. ult. in princ. Item ubi est culpa major, ibi debet esse major vindicta, cap. *Excommunicamus*, §. *Credentes de heret.* & ubi magis exceditur, ibi est severius vindicandum, cap. *fin. ad fin. de excess. Prælat. Collectat.* in cap. 1. *num. 2.* *supra de Schismat.* pena enim debet commensurari delicto cap. *Non afferamus*, 23. q. 1. & notat gloss. 2. in cap. *Proposito*, 27. q. 1. *Bartol. l. Levinus in princ. ff. de accusat. Bald. in Auth. Clericus*, col. 2. C. de *Episc. & Cler. Dec. in cap. Ecclesia S. Marie*, *num. 1.* de *Constit.* Et confirmatur, quia, ut inquit Cardin. hic in 1. notab. dispositio penalis injungens penam excommunicationis non restringitur, sed extenditur: Papa enim hic extendit Can. *Si quis iur-*

dente, 17. *quæst. 4.* ut comprehendat non solum injicientem manus, sed etiam aliàs turbantem libertatem Clerici.

Et primo inter hos Authores adducitur Martinus Alphonfus de Vivaldo in suo *Candelabro aureo in tract. de excomm.* Et extravaganti, & Concilio *fol. 31.* in septuagesima, & ultima excommunicatione ubi inter excommunicatos excommunicatione soli Papæ reservata virtute Gregorianæ Constitutionis enumerat ingredientes septa Monialium sine licentia Superioris: & idem confirmat *fol. 36.* Locus de excommunicatione ex Concilio Trident. ibi, *Sexagesima quarta est.* dum dicit: nunc verò est reservata Papæ per Gregorium.

Secundo adducitur Ludovicus de Beia in suo *tract. resol. cas. Conscient. Casu 3.* incipien. *Prælati*, quem sequitur Lelius Zecchius in *Elucidatione casuum Episcopis reservatorum. in casu 10. fol. 625.* Et eorum opinioni videtur suffragari quod summus Pontifex alias ad supplicationem penitentium, & etiam Episcoporum concessit absolutionem prædicti casus tamquam sibi reservatam; per quod videtur inductus usus reservationis ejusdem casus.

Ultimo affertur authoritas Navarri in cap. *Statutum*, sub *num. 62.* in 7. notab. 19. *quæst. 3.* *Comment. 4. de Regular.* & in *Man. cap. 27.* *sub num. 150.* ubi affirmat dictam Constitutionem includere etiam intrantes septa monasterii non habentes licentiam, & se credere hanc fuisse mentem ejusdem Gregorii.

His tamen non obstantibus contrarium verius videtur: Nam Constitutio Gregorii expressè loquitur de ingredientibus prætextu licentiarum revocatarum, & de his, qui habent licentiam ab Ordinariis in casibus permixtis, eaque abutuntur, ut patet ex rubrica, & ex verbis Constitutionis, præsertim in proœmio, à quo causa finalis colligitur, l. 1. ff. ad *Macedon. l. 1. ff. de hered. instit. l. Titius*, §. *idem respondit*, ff. de verb. *oblig. Oldrad. conf. 103.* *Quæstio est.* vers. *Generalis dispositio*, Bald. *conf. 150.* *Elegant.* & *copiose numero 4.* vers. *Si dicamus*, lib. 2. *Roman conf. 16.* *Visothemate*, numero 4. & seq. in quo quidem proœmio verbum nullum legitur de excommunicatione contra ingredientes absque licentia. Vnde cum eis non conveniant verba Constitutionis, consequens est, ut nec conveniat illius dispositio, l. 4. §. *Toties*, ff. de *dam. infict.* quia lex non imprimi est: sumum nisi in illas personas, quibus verba legis congruunt, & adaptantur, ut inquit *Gemin. conf. 68.* *Innocentius*, sub *num. 2.* vers. *Cum ergo conceperunt*, & si Gregorius voluisset comprehendere ingredientes absque licentia, expressisset, sicut expressit de ingredientibus prætextu licentiarum, &c. cap. 2. de *translat. Episc.* cap. *ad audientiam*, de *deim.* & in materia excommunicationis est bona gloss. in cap. *Prudentiam*, §. *Sexta*, in ver. *Vinculo excommunicationis*, de *off. Deleg.*

Et eo magis, quia consideratur etiam diversitas rationis inter eos, qui habent licentia ingrediuntur, & eos, qui ingrediuntur prætextu licentiarum revocatarum, aut abutuntur licentia Ordinarii. Si quidem licentia præbet ingredientibus ansam multò liberius, & frequentius delinquendi, exemplo tutoris suspecti fideiussionem præstantis, quo velamine

lamine datur ei occasio diutius grassandi in re pupillari, §. *in fin. de suspect. tutor.* juncta gloss. in verb. *Præstat. l. Suspectus*, & l. *Quia satisfactio*, ff. *eodem.* At verò ibi deficit licentia, ingrediens non solum se exponit penam à Concilio Tridentino inflictam in cap. 5. *sess. 25. de Regular.* Sed etiam temporalis, quæ consuevit imponi per Magistratus seculares; ideoque metu utriusque penam magis retrahitur à delinquendo, cap. 1. & ibi gloss. in ver. *A Domino*, de *homicid. lib. 6.* cap. 1. §. *Superior*, de *sent. excomm. eod. lib.* Frequentia autem, & libertas securius delinquendi fuit iusta causa cur Gregorius potius reservaverit Sedi Apostolicæ absolutionem eorum, qui prætextu licentiarum delinquant, quam eorum, qui omnino carent licentia. Vnde quamvis S. Congregatio Episcoporum, & Regularium negotiis præposita olim admodum locorum Ordinariis ne sibi illos casus promiscuè reservarent, quibus annexa est excommunicatio maior à jure imposta: illico tamen adjecta hanc limitationem, nisi forte propter frequentiam, scandalum, aut aliam necessariam causam aliqui hujusmodi casus nominatim reservandi viderentur, ut in litteris scriptis ad Cardinalem Archiepiscopum Neapolitanum sub *die 26. Novembris 1502.* quam quidem frequentiam, & scandalum considerasse Gregorium in reservatione hujus casus, satis constat ex verbis Constitutionis, ibi (Ac omnia quæ illas (idest Moniales) à spiritualium rerum cogitatione, & exercitio avocant, impedimenta tollere, periculæque, & scandala ab eis removere cupientes, &c.)

Hinc etiam magis delinquant statuens contra jus Ecclesiæ, quàm contra libertatem Ecclesiæ, quia in primo casu tollitur commune, in secundo autem tollit privilegium, argum. l. *Etus militis*, §. *Militia missus*, ff. de *testam. milit.* & tradit Dec. in cap. *Ecclesia S. Marie*, *num. 1.* de *Constit.* Tamen magis punitur statuens contra libertatem, quam contra jus Ecclesiæ, secundum Bald. in *rubr. eod. tit. in princ.* vers. *Quæro an sit differentia*, quia, ut inquit Dec. *ubi supra*, non semper pro majori delicto major pena imponitur: nam propter delicti frequentiam, vel propter majorem inclinationem ad delinquendum major pena quandoque pro minori delicto imponitur, ut per gloss. 2. in cap. *Propositio*, 27. q. 1. & in cap. *Admonere*, in ver. *Existimes*, 33. qu. 2. per illum textum, ubi major penitentia imponitur interficiendi uxorem, quàm matrem, quia, ut gloss. ibi dicit, homines proniores sunt ad interficiendum uxores. Laici verò Clericos oppido infestos habent, ut legitur in c. *Leitos*, 2. q. 7. Maxime propter libertatem ecclesiasticam, in qua Clerici sunt melioris conditionis, quàm seculares, & propterea major concitatur invidia. Vnde cum sint procliviores Laici ad itatendum contra libertatem ecclesiasticam, & sic contra privilegia Ecclesiarum, vel Clericorum: merito ut retrahantur ab eo in quo magis inclinantur, majori pena afficiuntur.

Præterea gravius videtur delinquere, & magis continere legislatorem qui ingrediuntur palam, & autoritative prætextu licentiarum, quàm qui ingrediuntur clam, & nulla sussulti licentia, exemplo eorum, qui fructus, & redditus ad Sedem Apostolicam, & ecclesiasticas personas ratione ecclesiarum pertinentes usurpant: neque enim incidunt in excommunicationem decimam septi-

mam Bullæ Cœnæ nisi qui id faciunt autoritate, & potestate usurpata, secundum Cajetan. in *Summa*, in ver. *Excommunicatio*, *num. 27.* vers. *Deinde circa secundam materiam*, & Navarri, in *Man. cap. 27.* *num. 70.* vers. *Sexta*, quod per illa verba, sicut ex decreto Concilii Tridentini cap. 11. *sess. 22. de reform.* non incidunt in excommunicationem qui res, & bona Ecclesiæ surripiunt tamquam fures; sed tantum qui illa autoritative: & sub ratione bonorum Ecclesiæ usurpant, ut aliàs S. Congregatio declaravit.

Et eodem modo cum aliàs dubitatum fuerit an prohibitio cap. 9. *sess. 24. de reform. matrim.* Circa matrimonii libertatem comprehendat privatas personas, S. Congregatio censuit non comprehendere, sed tantum dominos temporales, & magistratus cujuscumque gradus, conditionis, &c. Ingredientibus ergo septa monasterii Monialium absque licentia, nec verba, nec rationes Gregorianæ Constitutionis conveniunt; & consequenter nec illius reservatio, gloss. *magna in fin. in Clem. 1. de sent. excomm.* unde hic casus tanquam omisus remansit in eo statu, in quo prius erat, l. *Commotissimè*, ff. de *liber. & postum.* gloss. in c. *Si patet*, in verb. *Trebellanica*, de *testam. lib. 6.* Contententum est enim jura iuris concordare ad correctionem vitandam, l. *Præcipimus*, in fin. C. de *appellat.* & l. *Sancimus*, C. de *testam.* cum similib.

Ante ipsam verò Constitutionem ex decreto Concilii Tridentini in cap. 5. *sess. 25. de Regular.* ingredientibus septa monasterii Monialium absque legitima licentia imponitur simpliciter pena excommunicationis ipso facto incurrendæ, penicillius absolutio expressè reservatur summo Pontifici. Ergo censetur alius concessa per hanc Decretalæ, ubi quando conditor Canonis absolutionem excommunicationis sibi non retinet, censetur alius relaxasse. Et est præcipua regula in materia absolutionis à censuris laicis à Canone: patet ex dictis supra in ult. not. Et hanc sententiam sequuntur Moderni in *Praxi Archiepiscopi*, cap. 6. *num. 3.* lib. 3. ubi agentes de materia prædictæ Gregorianæ Constitutionis affirmant in ea non comprehendendi nisi qui prætextu licentiarum revocatarum ingrediuntur, non autem qui sine licentia, licet incurrant excommunicationem late sententiæ à Conc. Trid. inflictam d. cap. 5. Nec etiam Moniales in illum ingressum prohibent contententes incidere in excommunicationem, sed tantum peccare mortaliter. Id ipsum censet *Rodrig. de Regular. to. 1. q. 48. art. 2.* & *Suar de Censur. disp. 22. sect. 6. excomm. 6.*

Quibus non obstant adducta in contrarium: nam ad primum patet responso ex dictis: cum enim Gregoriana Constitutio nec in rubro, nec in nigro, nec in verbis narrativis, nec dispositivis loquatur nisi ingredientibus prætextu licentiarum revocatarum, aut abutentibus Ordinarium licentia, non debet extendi ad alium casum non expressum, præsertim habentem rationes diversas, & in materia penali.

Neque obstat quod secundum Card. dispositio penalis injungens penam excommunicationis non restringatur, sed extendatur: imo enim cum nulla pena sit major in Ecclesia, quàm excommunicationis, cap. *Corripiantur*, 24. qu. 3. cap. *Alfir*, 11. *quæst. 3.* cap. *Sacro*, *supra eod.* non debet in ea fieri extensio, sed potius restrictio, cap. *Qualivis de hu,*

bu que si. Amator. par. Cap. & notat glof. in c. Prædeniam, in ver. Vinculo excommunicationis, de off. Deleg. & Innoc. hic num. 2. vers. Et in excommunicatione. In hoc textu autem fit potius declaratio, quam extensio secundum Anchar hic. in princ. quia debemus magis considerare injuriam, seu violentiam, quæ sapit causam finalem, quam manus, quæ sapit demonstrationem. Vnde eodem modo in excommunicatione incidere qui Clericum non manibus, sed pedibus percuteret, vel perfrunderet aqua, aut in eum spueret, vel ejus vestem frangeret, quia violentia fit persona, ut notatur in d. cap. si quis sardente, 17. q. 4. in glof. in ver. Manus, & per Innoc. & DD. hic, & ita videtur seipsum declarare Cardin. hic in 1. opposit. n. 4. licet hoc casu non agatur de illius reservatione.

32 Ad id, quod dictum est de absolutionibus, quas Summus Pontifex impertitus est à prædicto casu, respondetur hinc non rectè inferri ad generalem reservationem: nam si Papa vellet casum esse sibi reservatum, expressè declararet per Constitutionem generalem, non autem per peculiarem provisionem ad petitionem unius, vel alterius Ordinarii, vel sacerdotis Præferti, vel quia eum penitentes habeant tres iudices, videlicet Parochum, Episcopum, Papam, qui omnes comprehenduntur sub nomine proprii sacerdotis in cap. omnia utriusque, de penit. & remiss. ut ibi notatur, & in Extravag. Usus cloniam, de heret. utique procurando sibi absolutionem à Papa tamquam à fonte habente plenitudinem potestatis, cap. Qui selet, 2. q. 6. cap. Præceptum, 1. 2. dist. cap. Quamvis, c. Dudum, & c. Multum, 3. q. 6. nullum intulerunt præjudicium aliis inferioribus, nec contra eos ex hoc induci potuit usus, vel consuetudo: ad hoc quod notat Innocen. in c. Bona, il secundo, num. 2. in fi. de postul. Prælat. ubi determinat quod si Papa aliquid facit de plenitudine potestatis, non præjudicat inferioribus, quia cum sit absolute dominus, non indiget aliqua acquisitione juris. Idem tenet Specul. in tit. de præfer. vers. illud, dicens Papam non præscribere contra inferiores, cum ipse jam sine præscriptione sit universalis dominus: & sequitur Abb. con. 101. in questione, num. 6. vers. Ne Papa exercendo hoc ius lib. 1. Et propterea ex eo, quod in cap. Litteras, supra de sibi, Presbyt. Papa dispensaverit, non bene inferitur ut prohibita sit dispensatio, quia hæc ab ipso fuit petita, ut notabiliter dicit glof. in cap. fin. & ibi etiam Butr. num. 5. vers. Non obstat quod solus Papa dispensat, eod. tit.

35 ad ultimum respondetur de declaratione Gregorii nulli contrarietate, & eam negari à Rodriguez tom. 1. quæst. regular. art. 2. & à Suar. de cens. dist. 22. scilicet. 6. excomm. 6. Nec Navarr. de huiusmodi declaratione attestatur, ut ei imponitur à quibusdam, sed tantum ait credendum esse hanc fuisse mentem conditoris: quo verò ad ingredientes monasteria virorum, quia negari non potest quin Pius V. declaraverit Constitutionem comprehendere etiam illas, quæ abque litteris Apostolicis ingrediuntur, tandem erit huic declarationi in suo speciali casu dumtaxat.

36 Vnde rejectis contrariis, concludendum videtur casum propositum non esse Sedi Apostolicæ reservatum, nisi ingressus, seu violatio clausuræ monasterii Monialium fieret ad malum finem, juxta Decretum S. Congregationis Episcoporum Clemē-

ris VIII iussu editum super absolutione à casibus reservatis: & ita declaravit Gregorius XIII Constitutionis conditor, ut in subiecta declaratione, Episcopus Comen. declarari perit, an Nulla Sanctissimi imponens penam excommunicationis ingredientibus monasteria vigore facultatum Apostolicarum, etiam eos comprehendat, qui absque talibus facultatibus ingrediuntur, ut sciri possit an absolutio sit reservata Summo Pontifici, S. Congregatio censuit agendum cum Sanctissimo, quia Concilium non reservavit Papæ, & non videtur adesse majoritas rationis, quia abutentes litteris Apostolicis majori poena digni sunt Sanctissimo declaravit Bullam non comprehendere eas personas, quæ ingrediuntur propria auctoritate absque licentiis. Sed Apostolicæ: & quod attinet ad Bullam Pii V. de ingredientibus monasteria virorum, ex quo idem Pius V. declaravit comprehendere etiam illos, qui absque litteris Apostolicis ingrediuntur, fiat firma declaratio.

Juxta prædicta QUÆRO, An absolutio à censuris, in quas incidunt Episcopi, & superiores regulares, qui sui auctoritate officii septa monasterii Monialium ingrediuntur non servata forma Constitutionis Gregorii XIII. sit Papæ reservata.

Ad partem affirmativam facit, quia Gregorius in Constitutione, quæ incit, *Vbi gratia*, primum sanxit, ut ingredientibus clausuram monasterii Monialium prætextu licentiarum revocatarum incidant in excommunicationem Sedi Apostolicæ reservatam. Ac deinde suborta dubitatione in ead. Constitutione comprehendit eos, qui ad ingrediendum alterius licentiâ non indigent, sed sui auctoritate officii nituntur, declaravit Prælatos omnes tam sæculares, quam regulares, quibus cura, & regimen monasterii Monialium incumbit, ita demum uti posse facultate ingrediendi illorum septa sibi ex officio attributa, si id faciant in casibus necessariis, & à paucis, iisque senioribus, & religiosis personis comitati, ut in Declaratoria incip. *Dubijs*, quæ emergunt in Bullar. tom. 2. pag. 394. si igitur Episcopi, & Prælati regulares in r. Constitutione comprehenduntur, & excommunicatio in illa Constitutione inflicta est Papæ reservata, videtur consequens, ut etiam excommunicatio contra ipsos imposita in Constitutione declaratoria sit reservata: nam qualitates omnes, quæ insunt legi declarate, censentur in esse illius declarationi, ut est text. in l. Nihil, & ibi Bart. in princip. ff. de ontangeu. cum emanis. lib. 8. & in Authen. de filiis ante d. tal. instrum. natis, ad fin. Roman. conf. 93. num. 4. vers. Quia in lege nova, Paul. de Caltr. conf. 339. col. fin. num. 5. vers. Quinto queritur lib. 1.

38 Contrarium puto verum, quia secunda Constitutio Gregorii non stat in puris finibus declaratoria, sed in ea parte, in qua poenas imponit, inducit naturam novæ Constitutionis, & idcirco non videtur ver. *Declaramus*, ut fecit in 1. parte, sed ver. *Statuimus*, atque *decernimus*, ut in §. *Quod si contra fecerint*: quia quidem verba non Constitutionem declaratoriam juri præexistenti, sed novi juris promulgatoriam significant, Clem. ult. §. fin. de rescript. glof. in Extravag. suscepti Ioannis XXII. in ver. *Statuimus*, Clem. 2. & ibi glof. in ver. *Decernimus*, de præben. & glof. in Clem. Eos, in ver. *Deiiceps*, de regular. Cum igitur Gregorius de novo statuat, atque decernat, ut ingredientibus clausuram mona-

monasterii Monialium non servata forma ibi præscripta, si Episcopi sint, pro prima vice sint ingressu Ecclesie interditi: pro secunda, à munere Pontificali, & à divinis suspensi: ac deinceps excommunicati: Regulares verò omni officio, & ministerio privati, ac pariter excommunicati: & absolutionem ab huiusmodi poenis sibi, & Sedi Apostolicæ non referaverit: tunc succedit regula textus nostri, videlicet ut ab his censuris laicis Canonis absolutionem sibi non retineat, ut dixi supra in ult. not. & in præced. quæst. num. 29.

Præterea manifestum est quantum ad poenas interdicti, & suspensionis Episcopos non comprehendit in r. Constitutione, cum illa Constitutio has poenas non imponat: ergo non comprehenduntur quoad poenam excommunicationis, quia una determinatio respiciens plura determinabilia debet intelligi ut omnia æqualiter determinet, l. tam bene iure, §. sed si, & ibi Bart. num. 1. de vulgar. & pupillar. & l. fin. c. de sent. cum similit. & consequenter nulla ex his poenis est Sedi Apostolicæ reservata: & circa prædictam Constitutionem Gregorii videtur quod scripsi in cap. *Præterea*, n. 29. & sequitur supra, de offi. Ordinari.

De Sent. Excomm. Cap. Cum illorum.

SUMMARY.

- 1 Excommunicatus, qui scienter recipit Ordines, deponendus, si est Clericus secularis, si regularis ab executione Ordinum est suspensus, & numero 8.
- 2 Dispensatus solus Papa cum Clerico seculari, qui ignorans ius, vel factum in excommunicatione recipit Ordines.
- 3 Sed cum regulari dispensat Abbas, si ignorantia est probabilis, & factum non est grave, & numero 26.
- 4 Excommunicatus pro violenta manuum injectione in Clericum regulariter non absolvitur nisi à Papa.
- 5 Fallit in casibus hic enumeratis & numeris seq.
- 6 Religiosi excommunicatione Canonis, si quis suadente, absolvi possunt per proprium Prælatum, si ipsam habeant, & sic Presbyter, atque per diaconum, & numerum 11.
- 7 Declaratio dubiorum in iure consistentiâ à Sede Apostolica petenda est.
- 8 Dispensat solus Papa cum Clerico seculari, qui in excommunicatione recipit Ordines, etiam si ab illa excommunicatione Episcopus possit absolvere.
- 9 Dispensandi potestas maior est, quam potestas absolvendi ab excommunicatione.
- 10 Argumentum à minori ad maius non procedit affirmative, sed negative.
- 11 Abbas potest absolvere Monachos suos ab excommunicatione ob violentam manuum injectionem, dummodo excessus non sit enormis.
- 12 Sive in excommunicationem incidant post ingressum Religionis, sive ante.
- 13 Sed ab alio excommunicationibus eos tantum, qui incidunt post ingressum.
- 14 Dispensandi potestatem habens cum subdito delin-

- 15 quente non potest dispensare cum eo qui deliquit antequam esset subditus.
- 16 Qualitas adiecta verbo intelligitur secundum tempus verbi.
- 17 Enormis excessus dicitur respectu quantitatis facti. Item respectu qualitatis personæ, n. 20. Item respectu scandalum, n. 22.
- 18 Membri appellatione qua intelligantur.
- 19 Percussio cum sanguine effusione an, & quando dicatur enormis.
- 20 Iniuria atrox respectu quantitatis facti quando dicatur.
- 21 Enormis semper dicitur excessus in Episcopum, vel Abbatem, vel alium Superiorem.
- 22 Et idem si in patrem, vel in magistrum.
- 23 Iniuria atrox estimatur si in theatro, in foro, vel in conspectu Prætorii facta sit.
- 24 Item si in Ecclesia, vel in Conventu.
- 25 Circumstantia, quæ aggravat, vel extenuat delictum, remissive.
- 26 Prælati regulares an possint dispensare super irregularitatibus ex delicto oculis provenientibus in vim Concilii Tridentini cap. 6. sess. 24. & numerus seq. usque in finem.
- 27 Irregularitas est impedimentum canonicum, quo prohibetur promotio ad Ordines, & illorum executio.
- 28 Prælati inferioribus non competunt ea, quæ sunt Ordinibus annexa sunt, vel illis concernunt.
- 29 Dispensatio in irregularitate est dispensatio circa Ordines.
- 30 Episcopi appellatione in materia exorbitanti non venit non consecratus etiam si ageretur de exercenda iurisdictione.
- 31 Episcopus electus ante consecrationem non potest concedere indulgentias.
- 32 Prælati inferioribus iurisdictionem quasi Episcopalem habentibus in locis suis iurisdictionis uti non licet facultate Episcopi attributa decreto Concilii Tridentini cap. 6. sess. 24.

CUM ILLORVM. Qui excommunicatus pro manuum injectione scienter recipit Ordines, deponendus, si est Clericus secularis, si Regularis, ab executione Ordinum est suspensus. Qui ignorans ius, vel factum sic excommunicatus recipit Ordines, si est Clericus secularis, dispensat cum eo solus Papa: si Regularis, Abbas cum eo dispensat, si ignorantia est probabilis, & factum non est grave. Hoc dicit secundum Io. Andr. cum quo Butr. Cardin. & ceteri concordant. Dividitur ut per Mar. Socin.

Nota primò ex principio textus, excommunicatum pro violenta manuum injectione in Clericum regulariter absolvi non posse nisi à Sede Apostolica, quia Papa sibi reservavit absolutionem, ut hic & in cap. Perdè, in cap. Non dubium, in cap. Ea noscitur, in cap. Tua nos, & in cap. Quamvis, infra eodem, & originaliter in cap. Si quis suadente, 17. quæst. 4. Fallit tamen hæc regula in multis casibus, qui comprehenduntur his verbis.

Regula, mors, sexus, hostis, puer, officialis, Delictus inops, eger, senexque, sodalis, Iamior, astridus, debius causa, levis ictus. Debilis absolvi sine summa sed meretur, Atrox verò soli Papæ reservatur.

Regula. Hic comprehenduntur omnes Religio-
si, qui absolvi possunt per proprium Prælatum,
si ipsam habeant, ut hic in §. Nos tamen dummodo
sacerdos sit. cap. Canonica, infra eod. cap. Noper, §.
penult. sup. eod. uti de hoc, alioquin per Diocelanum
de monialibus, infra eodem, cap. Monachi su-
pra eodem, mors, ut in cap. Non dabitur su-
pra eod. sexus, ut in cap. Mulieres, supra eod. hostis,
ut cap. Decetero, supra eod. puer, cap. Quamvis, &
cap. fin. infra eod. & supra cap. 1. officiatu, cap. 3. §.
1. supra eod. delictuosus, sed in isto prius consilium
Romanus Pontifex, cap. Mulieres, supra eod. mup-
que, & nobilis, cui ostium ire recurrendum est,
de quo dic, ut plenè notatur in cap. Quod de his,
supra eod. & infra in cap. Ea noscitur, sexex, ut in
d. cap. Quod de his, & cap. Ea noscitur, ager, zeger,
que incurabilis, vel de cuius morte dubitatur, vel
motibus chronicis est, & longus: de quo dicur
in iuribus proximè citatis, sedalis, ut cap. Quoni-
am, §. fin. supra de vita, & honestat. Cleric. & cap. Ex
tempore, infra, supra eod. iuxta, ut cap. 3. in 1. respons.
supra eod. aspidus patris potestati, vel dominica,
ut cap. Mulieres, supra eodem, & infra cap. Relat-
um, de quo dicur plenè legitur, & notatur in
cap. Quia si fuerit, §. 2. & cap. Si vel d. aliquis, supra
eodem in causa, scilicet iuste, quodcumque præ-
rent impedimentum Sedem Apostolicam non a-
deundi, cap. De his, ubi de hoc, & cap. De cate-
rospira, & infra cap. Quamvis, levitatem, ut cap. Per-
venit, supra eod. debilis, ut cap. Ea noscitur, supra eod.
absolvi sine summa Sede incurrent, atroci verò
foli Papæ retinentur, ut cap. Relatum, & cap. Ca-
nonica, infra eod. Hos versus recitat, & ut supra
explicat Host hic nu. 1. & in summa huius tituli, §.
Qui possit excommunicare, num. 4. sub vers. Secunda
regula, dicens fuisse Iacobi Serenæ Ebredunen-
sis, & concordant hic Ioan. Andr. nu. 2. Henric.
Boich. eadem num. Butr. nu. 26. Anchar. num. 1. &
Abb. in 1. notab. & latius prosequitur Marian Socin
in cap. Officiu, infra eod. ubi ponit regulam cum
tribus declarationibus, seu ampliationibus. n. 30.
cum tribus seqq. & viginti quatuor fallentias à num.
34. usque ad num. 58. & prædictis adde compendio-
sam distinctionem, quam posuit in cap. Pervenit,
num. 9. infra eod. post Ioan. Andr. hi num. 3. vers.
Et ad contrariorum solutionem.

7. Secundo nota ibi, Apostolicum sapis oraculum
imploratur. Pro declaratione dubiorum consilium
sententiam in iure ad Sedem Apostolicam esse recur-
rendum, de quo dic ut scripsi plenè in cap. Cuius
venisset, supra de iudic.

8. Tertiò, nota in vers. Circa quos, qua pena sit
puniendus Clericus secularis suscipiens Ordines
dum exilit in excommunicatione: debet enim
deponi ab illo Ordine, nec potest cum eo alius
citra papam dispensare: quod locum sibi vendi-
cat non solum in excommunicatis, quorum abso-
lutio est Sedi Apostolicæ reservata, ut in casu huius
cap. sed etiam in aliis excommunicatis, quos
Episcopi possunt absolvi, quia nihilominus non
poterunt Episcopi dispensare cum sic ordinatis,
quia effecti sunt irregulares & in dispensabiles ab
alio, quam à Romano Pontifice, ut hic firmat Io.
Andr. num. 8. cum quo concordant Henric. Boich.
num. 14. Anton. de Butr. n. 18. Abb. in 2. notab. &
alii communiter, & videtur probari in cap. 1. & 3.
de eo, qui factus ordin. recep. ubi cum recipiente Or-

dinem post excommunicationem solus Papa dis-
pensat.

9. Quarto nota ibi, Cum maior intelligatur illis
prohibita, &c. potestatem dispensandi majorem
esse, quam potestatem absolviendi ab excommuni-
catione; unde non valet consequentia: Potest
quis absolvere; ergo & dispensare, quia non pro-
cedit arg. à minori ad majus affirmativè, videli-
cet, si possum id quod minus est: ergo & id quod
majus est: sed è converso valet consequentia, qui
non potest absolvere, nec potest dispensare. quia
procedit argumentum à minori negativè sum-
ptum; unde sequitur: qui non potest id, quod mi-
nus est; nec potest id, quod majus est, ut notatur
in c. Cum in cunctis, de elect. cum majora intelligan-
tur illis prohibita, quibus verita sunt minora, ut
dicitur in littera; & ita hic notat Io. Andr. n. 6.
vers. Nec ostendit littera Henric. Boich. num. 14.
eodem vers. Butr. num. 18. vers. Non hac littera. Ab-
bas in 3. notab. Marian. Socin. num. 6. & Felin. n.
1. in 4. notab.

11. Quintò, nota in §. Quod si claustrales, Abbatem
posse absolvere Monachos suos ab excommuni-
catione inflicta à Canone pro violenta manuum
injectione, dummodo excessus non sit enormis,
sive in excommunicationem incidit post in-
gressum Religionis sive ante; & in hoc extenditur
c. Monachi, supra eod. ubi dabatur Abbati potestas
absolviendi Monachos suos in eotandem casu in
quo incidit in excommunicationem post in-
gressum. Dispositio tamen huius Decretalis res-
tringitur ad solam excommunicationem pro
violenta manuum injectione, cum Papa hic pro-
cedat per modum indulgentie, ut patet ibi. ma-
jorem eis gratiam exhibere volentes: nec non ibi, in-
dulgentem; unde in aliis casibus Abbas non poterit
absolvere excommunicatos ante Religionis in-
gressum; sed cum eis servabimus jus præcedens,
de quo in d. c. Monachi, cum non reperitur in mu-
tatum, nisi in hoc speciali casu injectionis ma-
nuum in Clericum, I. Sanctum, c. de testamen. l. 1. au-
cipimus in fin. c. de appell. & hic tenet Abb. in 4. no-
tab. & in d. c. Monachi, qui ex hoc notabiliter infert,
ut habens potestatem dispensandi cum subdito
delinquente in certo casu, non intelligatur ha-
bere potestatem dispensandi cum eo, qui delictum
illud commisit antequam esset subditus, nisi spe-
cifice hoc fuerit concessum, quod dicit esse singu-
lare Marian. Socin. hic in 3. notab. & sequitur Fe-
lin. num. 1. post iur. vers. Nota secundum d. Abbatem,
adducens rationem, quia qualitas adjecta verbo
intelligitur secundum tempus verbi, ut est casus
in l. in delictis §. Si exiranem, ff. de noxalibus, de
quo latè per Barr. in l. Ex factis, num. 1. de vulgat. &
pupill.

16. Sextò nota ibi, Nisi excessus ipsorum: quis dica-
tur excessus enormis. nam hic consideratur enor-
mitas triplici respectu. Primò scilicet respectu
quantitatis facti: & de hoc habes in textu duo
exempla: unum est si membrum fuerit mutila-
tum, ut patet in textu ibi, ut ipse sit ad mutilationem
membrum est proctum: quod intelligas de quolibet
membro magno, vel parvo: Non enim hic dis-
tinguitur inter hæc, sicut alias, ut in cap. pe-
nit. de corpor. vitiat & in cap. 2. de Cleric. agri-
secundum gloss. hic in verb. Mutilationem membri,
quam approbant DD. ut inquit Felin. n. 3. qui etiã
prose-

prosequitur an membri appellatione veniant un-
guis, digitus, caput barba, mamilla, dens, à d. n. 3.
18. in que ad num. 12. Alterum exemplum est quando
fuit procellum ad effusionem sanguinis, quod di-
cut DD. intelligendum ratione illius membri,
de quo facile sanguis exire non confuevit; unde
non intelligitur si modica, & levis fuit percussio
in naso, & sanguis exivit ab eo maxime, cui exire
confuevit, præsertim in ætate. Ita post Innoc.
his post med. in verbo Effusionem, declarat Hostien.
numero 10. in verb. Vel effusionem. Ioan. Andr. num.
10. & communiter Doctores; Marian. Socin.
19. in cap. Officiu, num. 59. infra eodem. Rursus hoc
primo respectu quantitatis facti dicitur excessus
enormis, seu atrox, si oculus offendiatur, cap. Si
evangelis, §. 55. distin. Si quis vulneretur, si subdito
exatatur, ut in §. Atrox, infra de iniuriis, secun-
dam Hostien. hic n. 10. & Marian. Socin. loco citat-
20. Secundo principali dicitur excessus enormis
respectu qualitatis persone, veluti si in Episcopi-
um, vel Abbatem sit violenta manus injecta, ut
hic in littera. Talis enim excessus semper gravis
est, & enormis, ut patet in cap. Ille procellum, 93.
dist. secundum Hostien. hic num. 10. in fin. in verb.
Aut in Episcopum, & idem est secundum eum si in
Priorem suum locum Abbatis tenentem, argum.
cap. Cum in Ecclesia, supra de majorib. & obed. &
idem intelligas quando inferior, & subditus in
Superiorem sui manus iniigit violentas, secun-
21. dum Hostien. ubi supra, & idem si filius in patrem,
vel discipulus in magistrum, secundum Marian.
Socin. d. numero 59. circa med. vers. Et idem arbi. or.
22. Tertiò principaliter excessus æstimatur enormis
respectu scandali, scilicet ubicumque scandalum
imminet, ut patet in textu ibi, Cum excessus tales
inequant sine scandalo præteriri. Nihil enim faci-
endum est cum scandalo, ut patet in eo, quod legi-
tur, & notatur in cap. Nihil, supra de præscript.
23. & in cap. Nisi cum proclon, §. Pro gravi quoque scan-
dalo, de renuntiis. Sed & respectu loci injuria di-
citur atrox, veluti si in theatro, in foro, vel in
conspetu Pætoris facta sit, dicit text. in d. §. A-
24. trox, infra de iniur. Fortius ergo si in Ecclesia,
vel Cemeterio, cap. Cum procellum, supra eodem,
cap. Quisquis, & §. Qui autem, 17. quest. 4. secun-
dam Hostien. in summa habuit. §. Quis possit ab hac
absolvere, vers. Sed que dicitur atrox, de quibus die
plenius, ut per Marian. Socin. in dict. cap. Of-
ficiu, num. 59. infra eodem: & que circumstantie
aggravent, vel extenuent delictum, seu injuriam,
25. dic ut per eundem Marian. in cap. Littera, num. 21.
in fin. vers. In causa autem cognitione septem penitenti-
principaliter consideranda, & num. seqq. usque in fin.
supra de pen.

26. Septimò nota in vers. Circa reliquos verò, Abbatem
quandoque posse dispensare super irregu-
laritate, scilicet cum Monacho suo, qui exiens
in excommunicationem propter excessum non gra-
vem ex ignorantia probabili suscipit Ordines, ut
hic per Abb. in 7. & 8. not. Marian. Socin. n. 20. & 21.
& quod dictum est de Abbate, intelligas etiam de
quolibet Priore conventuali, vel Prælo Regulari,
secundum Innoc. hic in 1. in verb. Abbas, quod
latius prosequitur Hostien. n. 13. & 14.

27. QUÆRO, an facultas dispensandi super irre-
gularitatibus ex delicto occulto provenientibus
attributa Episcopis ex decreto Concilii Tridentini
fess. 24. cap. 6. Prælati Regularibus competat.
Prosper. Fagn. in 2. par. 5. lib. Decretal.

28. Circa intellectum d. cap. 6. videtur confide-
rari posse irregularitatem esse impedimentum
canonicum, quo prohibetur promotio ad eccle-
siasticos Ordines, vel eorumdem executio, ut pa-
tet ex descriptione, quam ponit Specul. in titul.
de legat. §. iuxta, in princ. Archid. & Ioan. Andr. in
cap. 1. de reg. iur. lib. 6. Hostien. in cap. 2. num. 5.
supra de Cler. excomm. unistr. & Marian. Socin. in
cap. Ad audientiam, num. 12. supra de homi. id. Unde
dispensatio super irregularitate non videtur sim-
plicis jurisdictionis episcopalis, cujus capaces
sunt inferiores habentes jurisdictionem quasi Epi-
scopalem: Nam ad ea, que factis Ordinibus an-
nexa sunt, vel illos concernunt, non refertur ge-
neralis illa auctoritas, de qua per Abbatem in
cap. At si Clerici, §. De adulteris, num. 32. de iudic. &
in cap. Sicut unire, num. 3. vers. Et etiam hic de regu-
lari, supra de excessu. Prælat. Ita Anton. de Butr. in
suo celebri cons. 19. num. 10. & patet ex Conc. Trid.
in cap. 10. sess. 23. & alibi in materia Ordinum, &
dimissorum ad ordines.

Potest tamen fortè dici Abbates regulares, qui-
bus de jure competit facultas minores ordines
conferendi ut cap. & nomiam, 69. dist. & cap. Cum
contingit, supra de atar. & quatuor Subditis tamen
suis regularibus, & Concil. d. cap. 10. posse cum
eis super irregularitate dispensare, ut non impedi-
ant suscipere minores Ordines, aut in eisdem
susceptis ministrare. Pro quo facit ille textus ubi
patet Abbatem posse dispensare cum Monacho
irregulari quoad Ordines: intelligitur commu-
niter etiam irregularitas esse contracta post in-
gressum, ut patet in cap. Quod si claustrales, & dixi
supra in 5. notab. ex quo textu juncta gloss. in verbo,
Dispensare, & Innoc. circa fin. in verbo Abbas, colligi-
tur dispensationem in irregularitate esse dis-
pensationem circa Ordines.

Quod autem generaliter decretum Concil.
Trident. in d. cap. 6. sess. 24. Non sit intelligen-
dum, ut comprehendat omnes jurisdictione quasi
episcopalem habentes, iustatur ex verb. Episco-
pis, quod in materia huius, & proprie inter-
pretanda, ut puta exorbitanti, pleriq; dixit inter-
pretandū esse pro consecratis tantū, etiam ubi a-
geretur de excoꝛcenda jurisdictione, ut per Felin.
in c. Eam te, num. 5. de relecto. Hinc etiam commu-
niter tenetur Episcopos electos ante consecratio-
nem non posse concedere indulgentias, quamvis
id videatur esse actus jurisdictionis text. in cap.
Quod autem, supra de penit. & remiss. ita Felin. ubi su-
pran. 1. & Ant. de Butr. in præleg. cons. 19. nu. 21.
ubi distinguit, ut quadam sunt fori penitentialis
naturalis pertinentia ad Ordinem Episcopalem,
ut est absolvere à peccatis quibuscumque, in qui-
bus aliqua sunt relevata Episcopis: & talia sunt
communicabilia cum inferioribus, quia sui origi-
nem pertinent etiam ad inferiores; quedam verò
non naturaliter, sed per accidens in hærent Ordini
Episcopali, ut est indulgentias concedere: &
taliam, licet sine de foro penitentiali, non tamen
adaptantur inferioribus.

Ad hæc si passim omnia episcopalia essent com-
municanda istis inferioribus, paulatim intro-
duceretur usus Correpiscoporum, ut ad propositū
dicit Butr. ubi supra, & auctoritas Episcopalis vi-
lelceret.

Hæc etiam pertinet quod cum alius dubitatum
fuerit in Congregatione Concilii, an Cardinales,
P 3 qui

qui habent titulos Ecclesiarum Urbis, possint in suis Ecclesiis titularibus, & eorum subditis uti illis facultatibus, quæ à Concilio Tridentino tributa sunt Episcopis in suis civitatibus, & diocesis, & specialiter illis, quæ comprehenduntur *sess. 24. cap. 6.* facta relatione Gregorio XIII. Sanctitas sua dixit nolle, ut ea, quæ Episcopis concessa sunt à Concilio, competant Cardinalibus in suis titulis, quia licet habeant quasi Episcopalem jurisdictionem, ibi tamen verè, & propriè non sunt Episcopi: & in specie cum aliis qualicum esset, an facultate concessa Episcopis decreto Concilii *sess. 24. cap. 6.* etiam inferioribus jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus in locis sine jurisdictionis uti liceat. *Die 9. Decembris 1582. Sacra Congregatio censuit non licere.*

Ac postremò cum Abbas Aquitanen. Sedi Apostolica immediate subiectus, & jurisdictione quasi Episcopalem habens in subditos declarari postulasset, an facultas tributa Episcopis à Concilio decreto *cap. 6. sess. 24.* ipsum comprehenderet: Sacra Congregatio censuit non comprehendere.

De Sententia excommunicationis.

Cap. Vt fame.

VT FAMÆ. Prælati Clericum suum incorrigibilem incarceratione debet, & potest Hoc dicit primo. Laici de Prælatorum licentia capere possunt Clericos, & ad iudicium ducere, *to. Andr. secunda pars ibi. l. vi.*

Pro intellectu hujus Decretalis vide quod scripsit *cap. Cui non ab homine, n. 103. de iudic.*

De Sententia excommunicationis.

Cap. Pertuas.

SUMMARIUM.

- 1 Excommunicatus ab Episcopo, si ad Metropolitani appellat, potest ab ipso absolvi.
- 2 Metropolitanus tamen Suffraganeo deferens potest eum remittere absolvendum.
- 3 Et tenetur remittere si eius excessus fuerit manifestus.
- 4 Excommunicatus appellans ab iniustitia excommunicationis non auditur, nisi prius petat absolutionem, & num. 10.
- 5 Secus si dicat sententiam nullam, & num. 8.
- 6 Opinioni, vel magistro cuiuslibet non est credendum.
- 7 Nullitas & iniustitia excommunicationis in quibus differant, & n. seqq. usque ad n. 26.
- 8 Excommunicationem qui dicit nullam, auditur licet non petat absolutionem pure, vel ad cautelam, & numero 44.
- 9 Et quid si fuerit excommunicatus propter notorium excessum, n. 47. & 48.
- 10 Exempla non restringunt regulam, vel illius rationem.
- 11 Excommunicationem qui dicit iniustam, volens probare eius iniustitiam, non auditur, nisi ante omnia petat absolutionem.

- 12 Excommunicatio etiam iniusta ligat quoad Ecclesiam militantem.
- 13 Eventus nihil operatur non est expectandus.
- 14 Excommunicatus iniuste non petendo absolutionem, videtur contemnere sententiam ecclesiasticam; & ex huiusmodi contemptu ligatur etiam quoad Deum.
- 15 Excommunicatus potest appellare, & appellationem prosegui, licet absolutionem non petat, nu. 14. & 35.
- 16 Declaratur n. 16. & 40.
- 17 Appellatio est species defensionis, quæ excommunicato non denegatur.
- 18 Excommunicationem dicens iniustam absolvisur pure, sed dicens eam nullam, quamvis non egeat absolutione, tamen solet absolvi ad cautelam.
- 19 Nisi diceretur, & infra octo dies probaretur excommunicatus pro manifesta offensa.
- 20 Appellatio ab excommunicatione operatur effectum devolutivum, non suspensivum.
- 21 Excommunicatio trahit se cum executionem.
- 22 Excommunicationem ubi quis dicit nullam non modo in iudicio ad superiorem devolvitur, sed etiam suspensivum effectum sententia.
- 23 Appellatio à comminatione excommunicationis datur, ad utrumque effectum.
- 24 Secus à comminatione declaratoria.
- 25 Appellatio à declaratoria excommunicationis datur ad effectum devolutivum, & suspensivum, & num. 45. cum duobus seqq.
- 26 Appellatio non datur à gravamine, quoad reparari potest per appellationem à diffinitiva.
- 27 Appellare quis potest à declaratoria excommunicationis, & appellationem prosegui absque eo, quod petat absolutionem.
- 28 Absolutionem petens statetur se excommunicatum, nisi protestetur.
- 29 Appellans à declaratoria excommunicationis quamvis non egeat absolutione, tamen ad cautelam potest absolvi à metropolitano.
- 30 Nisi absolutio sit Sedi Apostolica reservata.
- 31 Auditor Camera est iudex ordinarius appellationum à sententiis per Ordinarios laicos etiam extra statum ecclesiasticum.
- 32 Non tamen potest absolvere etiam cum reincidentia, vel ad cautelam excommunicatos ob violatam libertatem, vel immunitatem ecclesiasticam, & num. 33.
- 33 Declaratur n. 43.
- 34 Auditor Camera in causis pendentibus in suo tribunali debet supersedere, si partes recurrant ad S. Congregationem immunitatis pro alioquin dubii declaratione, & illam exequi.
- 35 Monitoria, & inhibitiones in tribunali Auditoris Camera an dari possint excommunicatis ob violatam immunitatem ecclesiasticam.
- 36 Fine permissio videtur permissa illa omnia, per qua pervenitur ad illum, & exclusus à medio, excluditur à fine.
- 37 Exceptio excommunicationis repellit à iudicio, & impedit litum ingressum.
- 38 Et potest opponi in qualibet parte iudicii.
- 39 Excommunicatus est officio iudicis repellendus, licet excommunicationem exceptioni non opponatur.
- 40 Appellare quis potest à gravamine, & appellationem prosegui non obstanti exceptione excommunicationis.

Etiam si

- 41 Etiam si fuerit excommunicatus pro eadem causa, pro qua est in iudicio.
- 42 Auditor Camera potest appellante ab iniustitia excommunicationis per scriptum absolvere, vel eum remittere ad excommunicationem.
- 43 Excommunicatio ab homine non fertur nisi pro contumacia.
- 44 Auditor Camera potest audire excommunicatum ab Episcopo dicentem excommunicationem esse nullam.
- 45 Item potest audire appellante à declaratoria excommunicationis ab Episcopo lata.
- 46 Non tamen potest eum absolvere ad cautelam, vel cum reincidentia, si excommunicatio sit Papa reservata, & n. 47.
- 47 Appellans à declaratoria excommunicationis non auditur si excessus sit notorius, *ibid. n. 48.*

PERTUAS. Si excommunicatus ab Episcopo ad Metropolitani appellat, ab illo potest absolvi, ille tamen Suffraganeo deferens potest eum remittere absolvendum. Tenetur etiam remittere, si eius excessus fuerit manifestus. Ante absolutionem verò non auditur volens probare se excommunicatum iniuste, secus si vellet probare sententiam esse nullam. Hoc dicit lo. Andr. Butr. Cardin. Anchar. Abb. lo. de man. Felin. & Marian. Socin. Dividunt in quatuor partes principales. In prima, super casu ponit fallam opinionem. In secunda allegat pro Archiepiscopo. In tertia contra ipsum. In quarta solvit distinguendo. Secunda ibi, verum. Tertia ibi, in Sardiniis. Quarta ibi, nos igitur.

Nota primo ibi, videtur aliquibus. Non esse credendum cuiuslibet opinionari, neque cuiuslibet magistro, ad idem cap. Neque quorumlibet, & cap. ego solus, 9. dist. & hic notat Holt. num. 1. quod facit contra modernos, qui dicunt solum auctoritatem alicuius probati auctoris reddere opinionem probabilem; de quo dic latius, ut scripsi in cap. Ne in iudicis, à num. 403. usque ad n. 449. supra de Constitut. & vide quæ in proposito idem Holt. notat in cap. 1. n. 10. & seqq. de decim. & plenius in c. unico, n. 51. cum septem seqq. de sacra univ.

Secundo nota ex textu, & menti commenda plures differentias inter nullitatem, & iniustitiam excommunicationis.

Prima differentia est, quia dicens excommunicatum nullum auditur, licet non petat absolutionem pure, vel ad cautelam, ut in text. ibi, ad probationem eorum, etiam si absolutionem non petat, debet admitti; & notat Abb. num. 3. & Mar. Socin. in 11. not. lo. Ande. & omnes in summar. text. in extremis verbis: quod locum habet non solum in duobus casibus hic expressis in text. Nos igitur, videlicet, cum sententia excommunicationis est nulla, quia lata fuit post appellationem interpositam, secundum ea, quæ leguntur, & notantur in 16. cap. Pastoralis, §. V. etiam, de appellat. & in cap. Licet, de sent. excomm. lib. 6. & per Lap. alleg. 47. alius 48. incip. Magister Hospitalis, num. 3. Vel quia in ea fuerit exprellus intolerabilis error, scilicet juris, ut hic notat glos. in verb. intolerabilem errorem, sed etiam in omnibus aliis casibus, in quibus allegaretur nullitas de quibus in cap. Cui contingat, supra de offi. Delegat. per Abb. Antiq. hic in fin. v. f. ad glos. duobus, & per Marian. Socin. in cap. Perpendimus, in decimo principalis articulo, qu. 19.

supra eodem. Illi enim duo casus hic ponuntur exempli gratia, & idem non restringunt Regulam, vel eius rationem: Ad hoc cap. 1. & quod ibi not. in glos. 1. supra Ne Cler. vel Monach. & tenent Doctores, hic præsertim Abb. n. 3. v. f. Et ex prædictis inferitur, & Marian. Socin. num. 10. circa fin. v. f. Et advertit, & ante eos lo. Andr. in cap. Soter, n. 15. de sent. excomm. lib. 6. At verò dicens sententiam excommunicationis iniustam non auditur, volens probare eius iniustitiam, nisi ante omnia petat absolutionem, ut patet in textu ad finem, ibi, verum in aliis (id est ubi non proponitur excommunicationis nullitas, sed iniustitia) nisi gratiam absolutionis imploret, non debet audiri: & tenet glos. in ver. In aliis, lo. Andr. & sequentes supra in summar. Butr. nu. 14. Abb. & Mar. Socin. locis citatis, Oldr. conf. 93. Magister Ordinis, nu. 19. v. f. Non obstat, & ad hoc quotidie allegatur hoc cap. concordat textus in cap. Cui contingat, supra de offi. Delegat. ubi qui dicit sententiam nullam, admittitur ad probationem tantquam absolvarur; sed qui dicit eam iniustam, ante absolutionem non admittitur. Ratio differentia est, quia excommunicatio etiam iniusta ligat quoad Ecclesiam militantem, cap. 1. & cap. Si Episcopus forte, 11. q. 3. cap. A nobis, 1. secundo, supra eodem: & cum sit in omnem eventum necessaria absolutio, ne frustra expectetur eventus nihil operaturus, iuxta notata in l. si quisita scripsit hared. instituen. ff. de pet. hared. & in l. Aliquando, §. final. ff. ad Felicin. merito ante omnia debet peti absolutio. Crescit enim homo per meritum obedientie parendo inique sententia, cap. Sciendum, §. quæst. 1. cap. Quib. 11. quæst. 3. glos. in cap. Cum medicinali, in verb. Non contemnat, infra eod. lib. 6. Quinimo excommunicatus non petendo absolutionem videtur contemnere sententiam ecclesiasticam: & ex huiusmodi contemptu magis ligatur, ut hic dicitur in littera; & notat præcitata glos. adeo ut tunc incipiat ligari etiam quoad Deum, Feder. de Sen. conf. 11. Quaritur, An excommunicatio, in prin. Sed cum proponitur nullitas, tunc effectus est maximus, quia probata nullitate non erit opus absolutione, ut declarant hinc Butr. n. 14. Abb. d. n. 3. & Mar. Socin. n. 10. ante medium, v. f. Et ratio.

Sed proposita distinctione videntur aperte ob stare multa iura, quæ dicunt excommunicatum posse appellare, & appellationem prosegui, licet absolutionem non petat; quia appellatio est species defensionis, quæ excommunicato non denegatur, prout hæc probantur in c. Cui inter Priorem, in cap. Significavit, & in cap. ult. ubi est casus, supra de except. in cap. Intellectimus, de iudic. cum multis concordant Frustra igitur distinguitur inter iniustitiam, & nullitatem sententia: cui utroque casu excommunicatus sit audiendus in suis defensionibus, ut hic per Butr. in 2. not. Pro solutione breviter sic distinguitur: nam aut quis appellat ab ipsa sent. excommunicatione, quæ dicit iniustam, & sic litigium est super iustitia, vel iniustitia ipsius excommunicationis; & habet locum hæc Decretalis, quia ex quo statetur se ligatum, licet iniuste, debet ante omnia petere absolutionem prælitam cautione, cum nullus sit effectus, huius dilationis: nam live probetur iniustitia, live non, in omnem eventum est petenda absolutio, ut in cap. Cui contingat, de offi. Delegat. aut excommunicatus appellat super alio articulo, & ad verbarum

et scrip

excipit contra eum de excommunicatione & tunc quia appellans non fatetur se excommunicatum, non est necesse, ut petat absolutionem; imò si sibi opponatur de excommunicatione, poterit replicare de hoc non esse disputandum, quia tenet locum rei, & in aliud tempus poterit differri quæstio super nullitate, vel injustitia: ex hoc enim non impugnat excommunicatio, & in hoc casu loquuntur jura contraria, ut bene declarat Abbas *hinc n. 7. & in d. c. f. n. 6. de except.*

17 Secunda est differentia inter injustitiam, & nullitatem excommunicationis, quia appellans ab injustitia absolvi potest, & simpliciter. Ratio est, quia excommunicatio etiam injusta ligat quoad Ecclesiam, ut dictum est supra n. 12. & si contemnitur ligat etiam quoad Deum. *ut in d. c. 13. & ideo absolutio est simpliciter necessaria, sed proponens nullitatem excommunicationis, & intendens eam probare, quamvis sit audiendus, licet absolutionem non petat pure, vel ad cautelam, ut ostensum est supra n. 2. tamen ad cautelam absolvi potest, quia etiam tales, id est qui dicunt sententiam excommunicationis nullam, sed ad cautelam, idque non obstantem contradictione excommunicatoris, vel adversarii, nisi ab eis diceretur, & infra octo dies probaretur excommunicatus pro manifesta offensa, ut in cap. soler, & ibi lo. Andr. & DD. de sent. excomm. lib. 6.*

19 Tertia est differentia inter injustitiam, & nullitatem excommunicationis, quia ubi appellatur ab injustitia devolvitur jurisdictione ad Superiorem, cap. Revera, 3. qu. 9. & cap. Canon. Belgica, supra de appellat. Sed effectus excommunicationis non suspenditur, & sic appellatio operatur effectum devolutivum, sed non suspensivum, ut in principio. *textus ibi. n. o. em non habent appellandi: & in cap. Isacus, de sent. excomm. lib. 6. & in cap. Pastoralis, 3. parva, supra de appellat. ubi redditur ratio, quia executionem excommunicatio secum trahit, item non est homo, qui ligat, sed Deus, cap. Nemo, primo, 11. q. 3. item nemo excommunicatur nisi præcedente culpa mortali, & pro contumacia, cap. Nemo, 1. secundo, ead. caus. & quest. & contumax non auditur appellans, cap. Sunt quorum, 2. quest. 6. & ita hic notant gloss. 2. Innoc. num. 1. vers. sed decepti fuerunt, & num. 3. in fin. vers. Sed hoc non plus, ex dicens appellacionem nihil valere quoad excommunicatorem, quia semper excommunicatio secum trahit executorem: sed facere quoad principale negotium; quia si iusta causa est appellatum illud trahit ad cognitionem Superioris, Holtien. num. 2. in ver. Vocem non habeat appellanti, Ioan. Andr. num. 12. in gloss. 2. Abb. in. not. Marian Socin. num. 3. & alii communiter.*

21 Capell. Tholof. decis. 298. At verò ubi quis dicit sententiam excommunicationis nullam, non modo causa, & jurisdictione ad Superiorem deferretur, sed etiam suspenditur effectus sententiæ; & sic dictio, nullitatis, operatur utrumque effectum devolutivum, & suspensivum ex notatis per Innoc. in cap. Pastoralis, 3. supra de offi. Delegat. & tenet Lapis allegat. 2. distinct. hic, num. 4. vers. Et hoc concludit verè.

22 Et hinc resultat quarta differentia: nam si iudex citet aliquem ad dicendum causam quare non debet excommunicari, à tali excommunica-

tionem datur appellatio ad utrumque effectum, quia cum censura secum trahat executionem, & sic inferat gravamen irreparabile, ut in d. c. Pastoralis, 3. Verum, de appellat. Ratio postulat, ut citatus à tali gravamine de tueri possit præsidio appellacionis, ut l. 2. de appellat. recipi.

23 At verò si iudex citet ad dicendum causam quare non debeat declarari incidisse in excommunicationem à comminatione talis declaratorie non datur appellatio. Ratio est, quia à declaratoria postea lata poterit appellari, & appellatio operabitur utrumque effectum devolutivum, & suspensivum, ut per Rotam decis. 2. num. 5. de dolo, & contum. in nova, & scripsi in cap. Super eo, 1. secundo, num. 49. & 50. supra de appellat. Unde cum gravamen declaratoria reparari possit remedio appellacionis, consequens est, ut à comminatione talis declaratorie appellari non liceat, ut in Concilio Tridentino, sess. 24. cap. 20. in primo. ibi. (Neque appellaciones recipiantur, nisi à definitiva, vel à definitiva vim habente, & cujus gravamen per appellacionem à definitiva reparari nequeat.) quod etiam prius jure civili sancitum fuerat, ut in l. 2. ff. de appellat. recipi. & notat gloss. in Clem. 1. in ver. Ipsi omnes, de heret. & ita aliàs declaravit S. Congregatio Cardinalium ejusdem Concilii Interpretum.

26 Sed hic inarguitur pulchra dubitatio à DD. non excitata. Pone, Episcopus declarat aliquem excommunicatum, nunquid talis ab hujusmodi declaratoria possit appellare, & appellacione profectui abique eo, quod prius petat absolutionem. Videtur respondendum posse, nec indigere absolutione, quia hoc casu appellans non fatetur se excommunicatione ligatum, nec contemnitur censuram ecclesiasticam non petendo absolutionem, quæ est ratio, propter quam dicens excommunicationem injustam non auditur, nisi prius absolutionem petat, ut patet ex dictis supra n. 10. nec vertitur litigium super iustitia, vel injustitia excommunicationis, sed solum super facto, quia appellans negat se commisisse delictum, pro quo à jure poena excommunicationis infligitur, nam per declarationem, seu denunciationem non ligatur, ut d. c. Pastoralis, 3. Verum, supra de appellat. & cum super facto Episcopus poterit decipi ex falsis testibus, iudex appellacionis poterit pronuntiare bene appellatū, quo casu nulla indiget absolutione, nec appellacionis effectus est frustratorius, c. Solum iudicem, de appellat. & notat Innoc. hic in fin. & consequenter in appellacione à declaratoria non militat ratio, quæ militat in excommunicatione injusta, à qua in quocumque eventu necessaria est absolutio, ut constat ex dictis supra n. 10. & dubio ead. Item cum appellans à declaratoria neget se excommunicatum, & in hoc consistat substantia defensionis suæ in iudicio appellacionis, utique si teneretur petere absolutionem, per indirectum cogere tur suæ defensionem renunciare contra ea, quæ leguntur, & notantur in cap. Cum inter Priorem, in gloss. 1. cap. Dilecti filii, cap. Dilecti, & c. Significaverunt, de except. quia petens absolutionem fatetur se excommunicatum, ut c. Venerebilem, 5. Sunt enim notoria: & ibi notat gloss. in ver. Postulavit, & communiter DD. supra de elect. nisi protestetur, ut hic per Innoc. num. 2. vers. Alii dicunt contrarium; item cum à declaratoria excommunicationis datur appellatio ad utrumque esse.

effectum, ut ostensum est supra num. 24. Ergo appellans non debet interim se habere pro excommunicato, prout se haberet si absolutionem peteret, ut in d. cap. Venerebilem, item in hoc esset sibi contrarius, quia appellado à declaratoria diceret se non excommunicatum, & petendo absolutionem diceret se excommunicatum: unde tamquam proponens contraria non esset audiendus, d. cap. Sollicitudinem de appellat. itaque in effectu idem sunt dicere excommunicationem nullam, ac dicere declaratoriam injustam, quia qui dicit declaratoriam injustam, consequenter dicit se non ligatum, & sic nullam ibi esse excommunicationem, Unde sicut dicens excommunicationem nullam non tenetur petere absolutionem, ut hic deciditur, ita nec dicens declaratoriam injustam, & appellans ab illius injustitia: quod bene nota.

28 Ceterum adverte, quia & si appellans à declaratoria excommunicationis, ut prædixi, non eget absolutione, potest tamen à Metropolitanano absolvi ad cautelam: nam & nulliter excommunicati, qui absolutionem non indigent, à Sede Apostolica censuerunt ad cautelam absolvi, ut ostensum est supra num. 17. Et quod dicitur de Sede Apostolica, intelligunt DD. etiam cum nullitas excommunicationis proponitur coram aliis iudicibus, ut hic per Butr. n. 23. Sed hoc limitabis, nisi appellans declaratus fuerit incidisse in excommunicationem Papæ reservatam, puta ex Canone, si quis iudicaverit, 17. q. 4. quia tunc Metropolitanus nullo modo potest eum absolvere, cap. Porro, supra eodem etiam ad cautelam, sicut alias postea cessante reservacione, cap. Soler, & ibi gloss. 2. & communiter DD.

31 de sent. excomm. lib. 6. Quemadmodum & Auditor Cameræ, quamvis sit iudex Ordinarius appellacionum, quæ à sententis per quoscumque Ordinarios etiam extra statum ecclesiasticum latis ad Sedem Apostolicam interponuntur, ut in Constitutione 28. alias 20. Pauli V. incip. Eximia fidelitate, §. 10. Tamen non potest appellantes absolvi etiam ad cautelam, vel cum reincidencia ab excommunicatione inflicta ex causa violatæ libertatis, vel immunitatis ecclesiasticæ, cum casus sit Papæ reservatus in Extravag. Et si Dominicus de penit. & remiss. & in Bulla Cæna Domini, §. 15. innoto §. 22. secundum ea, quæ plenius adnotavi in cap. Cum pro causa, à numero 5. usque in finem supra eodem, ut in subiecta declaratione S. Congregationis Cardinalium, & Prælatorum à sancto Urbano VIII. alias deputata, & à Sanctissimo D. Nostro Innocentio X. renovata super appellacionibus, & inhibitionibus tribunalis Auditoris Cameræ, & aliorum tribunalium Curie Romanæ in præjudicium Nunciorum, Episcoporum, ac Superiorum Regularium tenoris infrascripti, videlicet.

33 Dubitatum fuit, An in tribunalis Auditoris Cameræ, & in aliis tribunalibus Curie Romanæ possint concedi inhibitiones, seu monitoria cum absolutione etiam cum reincidencia, vel ad cautelam excommunicatis per Episcopos & alios Ordinarios ex causa violatæ jurisdictionis immunitatis, vel libertatis ecclesiasticæ appellacionibus, vel alias recurrentibus ad supradicta tribunaalia. Secundò, an in causis, quæ agitantur in supradictis tribunalibus Curie Romanæ possint recurri ad facram Congregationem super immunitate, & cõtroverfiis jurisdictionalibus pro resolutione, vel

declaratione an sit, vel non sit commissæ violatio jurisdictionis, immunitatis, vel libertatis ecclesiasticæ, & an sit locus reintegracionis hujusmodi violacionis, & interim debeant dicta tribunaalia super sedere usque ad resolutionem, seu declarationem ejusdem Sacre Congregationis, illarumque sequi, & exequi.

Die 4. & 11. Augusti 1626. Dubiis supradictis cum interventu omnium illusterrimorum DD. Cardinalium, & Reverendissimorum Prælatorum deputatorum mature discussis, ac rationibus hinc inde deductis diligenter ponderatis, unanimi consensu censuit, quoad primum tribunal Auditoris Cameræ, nec non alia tribunaalia supradicta non posse hujusmodi absolutiones concedere, etiam cum reincidencia, vel ad cautelam. Quo verò ad secundum licere partibus ad dictam Congregationem ut supra recurrere, & interim supradicta tribunaalia expectare debere resolutionem, seu declarationem, & illam omnino sequi, & exequi.

Quibus quidem decretis eidem sanctissimo die 5. Septembris ejusdem anni 1626. plene relatis una cum rationibus, & auctoritacionibus suis Sanctitas apostolicæ, & confirmavit, illamque omnino exequi iussit, & ad hunc effectum notificata fuerunt. Et subinde cum de supradictis dubiis iterum actum esset in Congregat. habita die 27. Aprilis 1650. nemine dissentiente, resolutum fuit, Auditorium Cameræ debere decreta ut supra edita omnino observare, ac præcipere, ut à suis Ministris, & Officialibus exactè observentur.

34 Circa primam declarationem in eadem Congregatione habitatum est, nunquid in tribunalis Auditoris Cameræ possint concedi inhibitiones, seu monitoria excommunicatis ex causa violatæ libertatis, vel immunitatis ecclesiasticæ. Ratio dubitandi fuit, quia ad propositum dubium, An monitoria, & inhibitiones hujusmodi possint concedi cum absolutione à censuris Congregationis, nihil dixit monitoris, & inhibitionibus, sed respondit simpliciter tribunal Auditoris Cameræ non posse hujusmodi absolutiones concedere etiam cum reincidencia, vel ad cautelam. Unde quod negavit de absolutionibus videtur de monitoriis, & inhibitionibus concessisse, arg. cap. Nomen de presumpt. cum similibus, & cum Auditor Cameræ sit iudex Ordinarius quævisque appellacionum, ut dictum est supra num. 31. Dubitandum non videtur, quin in causis ad suum tribunal per appellacionem devolutis possit inhibitiones concedere, ut cap. Non solum, §. Illa verò, de appell. lib. 6. cum concordant.

35 Nec refert quod non possit excommunicatum absolvi etiam ad cautelam ubi casus est Sedi Apostolicæ reservatus; quoniam hoc casu non videtur necessaria absolutio, quia excommunicatus potest non modo appellare, cum hæc sit species defensionis, quæ excommunicati non denegatur, cap. Cum inter Priorem, de except. Innocen. hic num. 1. vers. Non enim est verum, sed etiam appellacionem profectui ut cap. ult. ead. tit. & notat gloss. in d. cap. Cum inter, in ver. Legitima defensio, Nihil enim excommunicato appellare prodesset, si non possit appellacionem suam profectui; ut dicitur in dict. cap. ult. in fin. & sic Auditor Cameræ poterit uti suis facultatibus, & appellacionem audire abique eo, quod eum absolvat ad effectum agendi, quia in causa appellacionis non agit, sed se